DE PARTICVLARVM COPVLATIVARVM APVD CAESAREM ET PSEVDO-CAESARIANOS SCRIPTORES VSV

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE X MENSIS IVNII ANNI MDCCCCI HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

BENIAMIN LEONARDVS D'OOGE

CIVIS CIVITATIVM FOEDERATARVM AMERICAE.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

HEINRICH WILLEMSEN

KARL GVSTAV VOLLMOELLER

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

MDCCCCI

FRANCISCO BVECHELERO

PRAECEPTORI PRAESTANTISSIMO

D. D. D.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41548103_0081

OPERA SAEPIVS CITATA.

Ballas, Grammatica Plautina, De Particulis Copulativis, Berlin 1884.

Draeger, Historische Syntax der Lateinischen Sprache, Leipzig 1881.

Elmer, Que, Et, Atque, in the Inscriptions of the Republic, in Terence, and in Cato, American Journal of Philology, 1887, p. 292 ff.

Hand, Tursellinus, Lips. 1829.

Klammer, Animadversiones Annaeanae Grammaticae, Bonnae 1878.

Kühner, Ausführliche Grammatik der Lateinischen Sprache, Hannover 1878.

Merten, De Particularum Copulativarum apud Veteres Romanorum Scriptores Vsu, Marburg 1893.

Nipperdey, C. Iulii Caesaris Commentarii, Lips. 1847.

Oudendorp, C. Iulii Caesaris Commentarii, Rotterdam 1737.

Reisig-Haase, Vorlesungen über Lateinische Sprachwissenschaft, Berlin 1888.

Ringe, Zum Sprachgebrauch des Caesar, Göttingen 1880.

Spitta, De Taciti in Componendis Enuntiatis Ratione, Pars Prior, Göttingen 1866.

SIGLA.

A. Bellum Alexandrinum.
Af. Bellum Africum.
H. Bellum Hispaniense.
Hirt. Belli Gallici Liber Octavus.

In adferendis locis Caesaris libros Belli Gallici numeris Arabicis, Civilis Romanis significavi. Recensione usus sum Holderi. In commentariis qui feruntur de bellis Alexandrino, Hispaniensi, recensionem Kuebleri, de bello Africo Woelfflini adhibui.

Aliquatenus Lexica Caesariana Meuseli, Mengi — Preussi, itemque Lexicon Pseudo-Caesarianum Preussi mihi auxilio fuerunt. Maximam vero partem egomet materiam perlustravi locosque cumulavi.

CONSPECTVS.

pag.

I. Prooemium 1
II. De Particulis Copulativis in Universum 3
III. De harum particularum in certis et sollemnibus locutionibus usu 5
IV. ET 7
1. De particulae *et* substantiva coniungentis usu . . 8
a. Partes vel divisiones 8
b. Oppositio substantivorum 9
c. Nomina propria 10
d. Terna substantiva 11
e. Per *et* notio generalis speciali et vice versa additur 12
2. De particulae *et* adiectiva coniungentis usu . . . 13
a. De singulis adiectivorum gradibus quo modo coniungantur 13
b. De adiectivo *multus* 14
c. De numeralibus 14
3. De particulis copulativis cum adverbiis 15
a. Quae particulae singulae inter duo adverbia ponantur 15
b. Singulorum adverbiorum adiunctio 15
4. *Et* pro *etiam* 17
5. *Et* comparativum 19
6. *Et* valet *et sic, et ita, et tum* 20
7. Per *et* particulam transitio fit 20
8. *Et* valet *et quidem* 21
9. *Et* adversativum 22
10. Vox negativa sequitur coniunctionem *et* 24
V. QVE 26
1. De particulae *que* conlocatione 27
a. De *que* particulae cum praepositionibus conlocatione 27
b. *Que* particula litterae gutturali addita 34

pag.
c. *Que* in enuntiati exitu 35
d. *Que* in membri exitu 36
e. *Que* particula in verborum quae in litteram ĕ desinunt exitu 37
f. *Que* particulae vocibus plurium quam quattuor syllabarum adiunctio 40
2. De particulae *que* substantiva coniungentis usu . 41
a. Binae notiones 41
b. Ternae vel plures notiones 43
3. De particulae *que* adiectiva coniungentis usu . . 44
4. De particulae *que* cum pronominibus usu 44
a. Personalia 45
b. Possessiva 46
c. Demonstrativa 46
d. Relativa 47
5. De particulae *que* cum coniunctionibus usu . . . 48
6. Particula *que* et figura anaphora quae appellatur 50
7. *Que* explicativum 50
8. *Que* adversativum 51
VI. ATQVE (AC) 52
1. De particulae *atque* (*ac*) conlocatione 52
2. Per *atque* (*ac*) similes notiones coniunguntur . . 55
3. Per *atque* (*ac*) contrariae notiones coniunguntur . 55
4. Per *atque* (*ac*) notio generalis speciali additur et vice versa 56
5. Quomodo verba componantur 56
6. *Atque* explicativum 59
7. *Atque* asseverativum 60
8. Per *atque* (*ac*) particulam transitio fit 60
9. *Atque* valet *et tum, et statim, et ita* 61
10. *Atque* comparativum 62

I. Prooemium.

Abhinc fere viginti annos, Draegerus cum notissimum librum, qui inscribitur „Historische Syntax der Lateinischen Sprache“, emitteret, non sine causa querebatur in ingressu capitis[1]) de particulis, non suppeditare materiam accurate exquisitam et aptam ad hanc rem uberius fusiusque disputandam. Ex quo tempore tamen recentiores multorum doctorum ad antiquiores Handi, Spittae, Ballasi, Klammeri, Ringique[2]) libellos accesserunt. Ex quibus dignissimi memoratu sunt hi: Elmer, The Copulative Particles *que, et, atque* in the Inscriptions of the Republic, in Terence and in Cato, American Journal of Philology 1887; Merten, De Particularum Copulativarum apud Veteres Romanorum Scriptores Usu, Marpurgi 1893. Ad hos multi alii docti aliquid huic rei in variis scriptis philologicis attulerunt. Nunc vero harum particularum usus in rei publicae inscriptionibus et apud Plautum, Catonem, Terentium, Varronem, Auctorem ad Herennium, Ciceronem, Senecam, Tacitumque copiose expositus est. Apud Caesarem autem usus nondum satis accurate et uberiore disputatione tractatus, apud Pseudo-Caesarianos scriptores ne tactus quidem est. Itaque operae pretium esse putabam, si Caesarem et Pseudo-Caesarianos scriptores quam accuratissime perscrutarer, ut, quas leges hac in re secuti essent, describere possem; et non solum hoc sed etiam alios scriptores, qui ante aut post Caesarem

1) op. cit. II. p. 1.

2) v. p. V.

floruissent, in comparationem vocarem. Comparatio enim vero Caesaris et Pseudo-Caesarianorum scriptorum inter se eo utilior et suavior est, quod inter hos commentarios multae et magnae differentiae intercedunt. Imprimis Pseudo-Caesarianorum scriptorum commentarii habent tot peculiaria alius alia, ut eos non solum ab Hirtio, qui quondam scripsisse existimabatur, sed ne ipsos quidem ab eodem homine scriptos esse iudicare cogamur. Hirtium quidem octavum librum de Bello Gallico scripsisse est consentaneum, sed de ceterorum libellorum auctoribus adhuc sub iudice lis est [1]).

Quantum intersit inter hos libellos, ut pauca commemorem, ex his facile est ad iudicandum: auctor Belli Africi verbo *interim* sexies et sexagies utitur, omnino non utitur auctor Belli Hispaniensis. Nam unus solusque locus [2]), ubi *interim* in codicibus invenitur, est corruptissimus. Porro historicus infinitivus, qui a Caesare raro interponitur, ab Hirtio omnino numquam admittitur et in bello Hispaniensi duobus solis locis [3]) invenitur; sed a Belli Africi scriptore toties [4]) usurpatur, ut modum ex-

---

1) Cf. Suetonius, Caesar, 56; Nipperdey, De Supplementis Commentariorum C. J. Caesaris, Berlin, 1846; Nipperdei Quaestiones Caesarianae editioni (Lips. 1847) praemissae; Madvig, Adversaria Critica, II. p. 289; Vielhaber, Zeitschrift für östr. Gym. 1869, p. 547, Bellum Alexandrinum; Schneider, De indagando belli Hisp. scriptore, Breslau 1838; Fröhlich, Bellum Africum, Brugg 1872; Köhler, De Auctorum belli Afr. et Hisp. Latinitate, Acta Erlang. 1. 377; Degenhart, De auctoris belli Hisp. Elocutione et Fide Historica, Würzburg 1877; Fischer, Das achte Buch vom gallischen Kriege und das Bellum Alexandrinum, Prog. Passau 1879; Landgraf, Untersuchungen zu Caesar und seinen Fortsetzern, insbesondere über Autorschaft und Komposition des Bellum Alexandrinum und Africum, Erlangen 1888; Schiller, Archiv, 1888, p. 593 seqq.; Wölfflin, Sitz. Bericht d. Bayr. Acad. 1889, p. 336 seqq.; Wölfflin et Miodonski, De Bello Africo Commentarius, Lips. 1889, Praefatio, p. 31 seqq.

2) H. 28. 4. 3) H. 1. 2 : 29. 5.

4) Af. 1. 3 et 5 : 6. 6 : 7. 4 : 8. 4 : 12. 2 : 15. 2 : 16. 1 et

cedat. Iam vero nulla re hi libelli magis inter se dispares sunt quam copulativarum particularum usu, quod quidem non mirum est, nam particulae, humilis sermonis materia, tamen imprimis signant, pro ut inepte aut apte usurpantur, elegantem orationem aut invenustam. In Bello Hispaniensi et Bello Africo maximam partem id adhiberi genus dicendi, quod sermo rusticus vel plebeius recte appellatur, omnibus notum est. Itaque nulli admirationem movere potest, quod particulae copulativae *et* et *que*, quibus sermo plebeius maxime favet [1]), frequentissime in his libellis inveniuntur. Contra ea particula *atque* (*ac*), quae praesertim sermonis urbani propria est, fere omnino non usurpatur in Bello Hispaniensi, in quo profecto omnis varietas elegantiaque in sententiis conserendis et particulis eligendis deest. Adfero numeros hos comparandi causa:

	et.	*que.*	*atque* (*ac*).
Af.	280	467	155
H.	148	82	2 [2])

Iam satis ex eis quae dixi manifestum est, non sine causa hanc disputationem fieri.

II. De Particulis Copulativis in Universum.

Grammatici Latini [3]) docent ita inter se particulas *et*, *que*, *atque* (*ac*) differre, ut *et* coniungat simpliciter, *que* adiungat accessione, *atque* (*ac*) iniungat aequatione. Recta est haec lex in universum, sed re ipsa tanta est varietas

3 : 20. 1 : 21. 1 : 24. 2 : 25. 5 : 26. 8 : 30. 1 : 32. 3 : 35. 1 : 39. 1 : 52. 5 : 61. 8 : 70. 2 : 71 : 78. 6 : 85. 3.

1) Cf. Segebades, Observ. Gram. in Petronium, Halle 1880, p. 32. Reisig III. p. 195.

2) H. 13. 5 : 41. 5. Duo alii loci [23. 5 : 41. 5] incertissimi sunt.

3) Cf. Hand II. p. 467; Zumpt: Gram. Lat. § 333.

et diversitas apud scriptores etiam optimos, ut unius cuiusque particulae usus certis atque distinctis finibus circumscribi non facile possit. Etenim praeter vim vetustatis, adsuetudinis, desuetudinis, non solum libido scriptorum respicienda verum etiam euphonia sonorum et discrimina generis litterarum. Manifestum enim est oratoris sermonem esse dissimilem atque historici, et huius sermonem ad eundem modum differre ab sermone familiari volgarique. Tamen illa discrepantia particularum, quam supra commemoravi, apud bonos quidem scriptores magnam partem praevalet, saltem temporibus liberae rei publicae et primorum imperatorum. Postea magis magisque lex neglecta et harum particularum usus est confusus.

Praeterea est alia causa, quae maximam disputationi huius generis difficultatem adfert. Dico innumerabiles lectiones dubias corruptasque, quae in his particulis occurrunt. Nam non solum codices ipsi multis locis sunt depravati, ut facile potest intellegi ex compendiis prope similibus, quibus particulae denotari solebant, sed ne mutare quidem ad libitum aliam aliter librarii et nonnumquam sua licentia particulas addere dubitaverunt.

Caesarem cum discrimine has particulis elegisse, apertum est ex plurimis locis, velut:

Infamis atque indignitas rei et oppositus mons Cevenna viarumque difficultas impediebat. 7. 56. 2.

Deprensis navibus circiter quinquaginta celeriterque coniunctis atque eo militibus iniectis et rei novitate perterritis oppidanis, . . . sine contentione oppido potitur. 7. 58. 4.

Contra ea apertum est iam ante Caesaris aetatem particulas sine ullo discrimine in nonnullis conlocationibus, imprimis in figura quae hendiadys vocatur et ad explicativum membrum aut enuntiatum adiungendum et ad adversativum, esse usurpatas [1]).

---

1) Cf. Draeger II. p. 65.

Quod attinet ad genus orationis, inter omnes[1]) constat apud historicos inter particulas *et* et *que* non magnum numeri discrimen intercedere, sed earum frequentiam multo maiorem esse quam coniunctionis *atque*. Contra ea apud oratores, quibus est natura redundantia verborum maior et superlatio quaedam, particula *atque* (*ac*) ceteras particulas numero paene aequat et nonnumquam eis praevalet. Exempli gratia numeros adfero, quos Ringius et Mertenus conlegerunt.

	et	*que*	*atque* (*ac*)
Curtius Hist. I. II.	470	350	75
Cato De Agri.	510	202	5
Cato Orationes	24	14	76
Cic. Pro Imp. Pomp.	124	69	133

Neque Caesaris nec Pseudo-Caesarianorum scriptorum commentarii cum hac observatione pugnant.

	et	*que*	*atque* (*ac*)
Caes. Bell. Gall.	908	886	619
„ Bell. Civ.	654	830	459
Hirt. Bell. Gall. VIII.	75	125	59
Bell. Alex.	208	252	114

Loci, qui in Bello Africo et Bello Hispaniensi inveniuntur, idem monent [2]).

III. De harum particularum in certis et sollemnibus locutionibus usu.

Ne in certis quidem et sollemnibus locutionibus Latini scriptores fixis cancellis circumscripti sunt, ut a compluribus doctis [3]) est monitum. Ut paucos ex plurimis locis commemorem, legimus:

1) Cf. Draeger II. p. 34; Ringe p. 1; Merten p. 4; Klammer p. 1.

2) v. p. 3.

3) Cf. Ballas p. 18; Klammer p. 14 seqq.; Merten p. 30; Draeger II. p. 40 seqq. et p. 66 seqq.

ultro citroque, Cato de Agr. 33. 2; Cic. Verr. V. 170.
ultro et citro, Cic. p. Rosc. Am. 60.
ultro ac citro, Varro R. R. III. 5. 16.

late longeque, Cic. p. Balb. 13.
longe atque late, p. Marc. 29.
longe et late, Varro R. R. II. 2. 9.

Allobrogum senatui et populo, Cic. Cat. III. 10.
senatum Allobrogum populumque, Cic. Cat. III. 11.
senatui et populo Romano, Sall. Iug. 9. 2.

leges iudiciaque, Cic. Verr. I. 41.
leges et iudicia, Cic. Verr. IV. 32.
leges ac iudicia, Cic. p. Sest. 134.
iudicia atque leges, Cic. de har. resp. 7.
(*ius iudiciumque*, Cic. p. Sest. 73.)

Etiam apud Caesarem et Pseudo-Caesarianos scriptores eadem varietas libertasque inveniuntur. Inspicias velim haec:

populi senatusque, III. 10. 10.
senatui populoque Romano, 1. 9. 5 : A. 68. 1.
ab senatu et a populo, III. 10. 8.

privatim ac publice, II. 21. 5.
publice privatimque, 5. 55. 4.

latius inflatiusque, III. 79. 4.
latius atque inflatius, 2. 17. 3.

acerrime fortissimeque, 5. 43. 4.
fortissime atque acerrime, I. 57. 3.
fortissime acerrimeque, Af. 78. 4.

integri et recentes, 5. 16. 4.
recentes atque integros, 7. 48. 4 : III. 94. 2.

iter angustum et difficile, 1. 6. 1.
difficili angustoque itinere, III. 41. 3.
itinera difficilia atque angusta, I. 65. 3.

die ac nocte, III. 36. 8.

nocte ac die, III. 11. 1.
diem noctemque, 7. 42. 6.
die et nocte, Af. 80. 3.
dies noctesque, Af. 26. 4.
nocte et die, Af. 5. 1.
diem et noctem, H. 38. 1.
nocte dieque, H. 2. 1.

dextra sinistraque, A. 37. 4.
dextra sinistra (asyndeton), Af. 78. 2.
dextrum ac sinistrum, Af. 13. 1.

diurna nocturnaque, 7. 56. 3.
nocturnis diurnisque, 1. 38. 7.

Sed haec satis superque. Iam accedamus ad singulas particulas pertractandas, et primum quidem ad particulam *et*.

IV. ET.

Per particulam *et* [Indo-Eur. adv. ĕtĭ = Gr. ἔτι = *praeterea*] [1]), ut supra dictum est, membra aut enuntiata simpliciter, interiore ratione neglecta, enumerantur et coniunguntur [2]). Sed, cum ceteris quoque voculis copulationis vis sit, non mirandum est *et* multis locis usurpari, ubi *que* vel *atque* particulam exspectare sane potueris. Exempli gratia apud Caesarem, 7. 90. 4, legimus, *cum legionibus et equitatu;* sed 5. 11. 1 *legiones equitatumque*, quod totae copiae comprehenduntur; porro 5. 17. 2, *tres legiones atque omnem equitatum*, quod hic, ut ex contextu apparet, altera notio fortior est. Contra ea legimus II. 37. 2, *nuntiis et litteris;* 7. 77. 16, *iure et legibus*, ubi particula *que* exspectari potuit; porro 1. 33. 2,

1) Cf. Lindsay, Short Historical Latin Grammar, p. 137, § 2.
2) Cf. Hand II. pp. 467—540.

sibi et rei publicae, ubi *et* pro *atque* (*ac*) usurpari videtur, quae lectio invenitur 5. 7. 2 et III. 10. 6. Ex quo efficitur ut apud omnes fere scriptores, oratoribus exceptis, omni linguae Latinae aetate[1]), particula *et* longe fuerit usitatissima. Accedit ut numerus huius particulae quasi in annos magis magisque creverit. Quin etiam in inscriptionibus, cum antiquioribus temporibus *que* particula semper fere usurpetur[2]), tamen temporibus bello Punico secundo posterioribus, praeter leges et acta publica, copula *et* fuit frequentissima.

1. De particulae *et* substantiva coniungentis usu.

a. Partes vel divisiones.

Per *et* voculam partes vel divisiones alicuius rei indicantur: cf. Varro l. l. IX. 3. *homo ex corpore et animo*, similia Cic. de fin. IV. 19, Sall. Iug. 2. 1. Similiter apud Caesarem partes et divisiones copiarum notantur, ratione quamcumque inter se habent neglecta: *turmis equitum et cohortibus* 7. 88. 1: *praemisso equitatu et essedariis* 4. 24. 1: *duas legiones et omnia auxilia* 1. 24. 2: *impedimenta et omnis equitatus* I. 40. 3, alia. Ita munitionum partes: *vallo .. et fossa* 5. 42. 1: *fossam et maceriam* 7. 69. 5: *aggere et turribus* II. 2. 6: *aggere et cratibus* 7. 86. 5. Item apud Pseudo-Caesarianos scriptores: *vineis et aggere* Hirt. 42. 2: *funditoribus et sagittariis* A. 30. 6: *militibus et sagittariis* Af. 28. 1: *equites et cohortes* H. 38. 1. Tamen, quod mireris, etiam in talibus locutionibus aliae copulae, imprimis *que*, non raro inveniuntur et saepe sine causa. Cuius generis ut a luculento exemplo incipiam, in Bello Africo legimus octies[3])

---

1) Cf. Merten p. 4 seqq., p. 14 ff.; Klammer p. 1 seqq.; Ringe p. 1.

2) Cf. Elmer p. 297.

3) Af. 19. 3 : 50. 2 : 52. 1 : 69. 1 : 65. 3 : 72. 1 : 72. 2 : 75. 3.

equites vel *equitatus levisque armatura*, non plus quam semel[1]) *equitatus et levis armatura;* porro *equitum peditumque* ter[2]) et nihil aliud. Etiam Cicero habet *ex corpore animoque*, de fin. V. 34, et *ex re atque verbis*, de Orat. III. 19.

b. Oppositio substantivorum.

Substantiva, quae inter se contraria sunt, Varro et Pseudo-Cornificius et Cicero fere per particulam *et* coniungunt[3]). Ex scriptoribus, de quibus agimus, diligenter perscrutando, cumulavi exempla haec:

Cum *et*,

bella et civiles dissensiones, III. 1. 3.
odio Caesaris et amore Pompei, A. 36. 4.
diem et noctem, H. 38. 1.
familiam et libertos, H. 33. 3.
servum et libertum, H. 33. 4.

Cum *que*,

de servis liberisque, III. 14: 3.
eadem .. feminae marisque natura, 6. 26. 3.
vitae necisque, 1. 16. 5: 6. 19. 3: 23. 4.
aqua terraque, III. 17. 3.
diem noctemque, 7. 42. 6: 77. 11: I. 62. 1.
terra marique, A. 44. 5.
dextra sinistraque, A. 37. 4.
nocte dieque, H. 21.
terra marique, Af. 24. 4: 93. 3.
dextra sinistraque, Af. 70. 3.
dies noctesque, Af. 26. 4.

Cum *atque* (*ac*),

pecora atque homines, 5. 19. 1: sim. 6. 3. 2: 6. 1: *iumentorum atque hominum*, 6. 43. 3: sim. I. 55. 1: II. 1. 4: *filia atque unus e filiis*, 1. 26. 4.

1) Af. 69. 3.
2) Af. 17. 1 : 25. 1 : 30. 2.
3) Cf. Merten p. 8.

aqua atque igni, 6. 44. 3.
flumine atque incendio, 7. 55. 8.
frigora atque aestus, 6. 22. 3.
nocte ac die, III. 11. 1.
die ac nocte, III. 36. 8.
servorum ac liberorum, III. 32. 2: 80. 3.

Unde manifestum est particulam *que* usitatissimam esse, scriptore Belli Hispaniensis excepto, apud quem *et* praevaleat; deinde apud Caesarem usum particulae *atque* (*ac*) fere numero esse parem. Nec est praetermittendum *atque* (*ac*) apud ceteros scriptores in talibus locutionibus non inveniri.

c. Nomina propria.

Ringius[1]) recte demonstrat propriis nominibus Caesarem ad suum arbitrium adhibere copulas videri. Nam ecce:

Eporedorix et Viridomarus, 7. 38. 2.
Eporedorix Viridomarusque, 7. 55. 4.
a Viridomaro atque Eporedorige, 7. 54. 1.

Tamen inspicias velim numeros hos ad frequentiam ex comparatione ostendendam copularum singularum conlectos:

	et	*que*	*atque* (*ac*)
Caes.	95	50	34
Hirt.	4	3	—
A.	7	8	2
Af.	15	8	—
H.	6	1	—

Unde apparet apud omnes particulam *et* longe usitatissimam esse, *atque* minime volgarem si excipimus Caesarem. Accedat quoque ut inter nomina consulum, quae hercle fere dissolute ponuntur[2]), interdum copula

1) v. p. 4.
2) Cf. Reisig III. § 232, p. 193; Lahmeyer, Asyndeton der Namen bei Anführung von Consulnpaaren, Philol. 22, p. 63.

et, numquam *que* aut *atque* (*ac*) intercedat. Ecce exempla:

M. Messala et M. Pisone consulibus, 1. 2. 1.

consules creantur Iulius Caesar et P. Servilius, III. 1. 1.

L. Lentulum et C. Marcellum consules creatos, Hirt. 50. 4.

d. Terna substantiva.

In aequalium membrorum enumeratione rarissime copulam *et* in prioribus membris omissam ultimo addi, inter omnes constat. Madvigius[1]) quidem contendit apud Ciceronem hoc dicendi genus numquam inveniri. Sed non dubium est quin haec locutio omnibus linguae aetatibus usurpata sit[2]). Quamquam confitendum est paucos locos suppeditare. Apud Caesarem sunt duo loci, aliquantum dubii, tamen digni qui inspiciantur.

a) *luto, frigore et adsiduis imbribus*, 7. 24. 1. (codices β): *frigore et adsiduis imbribus* (codices α).

Retinet vocabulum *luto* Oudendorpius; plerique recentiores editores, Nipperdeium sequentes, omittunt. Ego puto alteram hanc lectionem praeferendam, nam sine ulla dubitatione *luto* est adscriptum margini ab aliquo librario explicandi gratia, quo modo milites adsiduis imbribus tardarentur.

b) *Delphos, Thebas et Orchomenum*, III. 55. 4.

et Scaliger delevit et omnes posteriores aut omittunt aut uncis includunt, etsi in omnibus codicibus invenitur. Sine dubio usitatum Caesari genus dicendi postulat ut *et* deleatur. Hoc ipso quidem capite, § 1, legimus *Aetolia, Acarnania, Amphilochis*. Tamen auctoritas codicum hoc loco tantum valet ut retinere *et* velim et ob Boeoticarum urbium quasi foederatarum a Delphis dis-

---

1) Madvig Op. Acad. I. p. 333.

2) Cf. Draeger II. p. 3.

sociationem tueri. Relicum est igitur ut unum hoc sine suspicione exemplum apud Caesarem exstare dicam.

Quid de supplementis Caesarianis? Ecce exempla:

a) *sagittariisque ex omnibus navibus Ityraeis, Syris et cuiusque generis*, Af. 20. 1.

Woelfflinus[1]) verbum *Syris*, uncis inclusit, sed, ut puto, non recte, nam *et cuiusque generis* inepte poneretur, si unum tantum genus hominum (*Ityraeis*) antecederet [2])

b) *virgulta, crates et harpagones*, H. 16. 2.

Lectio *virgulta, crates* mera Nipperdei coniectura nititur.

c) *totius seditionis, familiae et libertinorum caput*, H. 33. 3.

Kueblerus non sine iusta causa, ut mihi videtur, locutionem *familiae et libertinorum* uncis inclusit, inductus, ut ipse dicit, a Mommseno et Fleischero[3]), qui delent haec verba. Ea suspiciosa esse inde apparet, quod paulo infra fere iterantur (*familiam et libertos*), deinde autem quod nullus plane intercedit conexus inter verba artissime haerentia, *caput seditionis et familiae et libertinorum*.

e. Per *et* notio generalis speciali et vice versa additur.

Per *et* substantiva coniuncta leguntur, quorum prius posteriore aut priore posterius accuratius definitur[4]). Apud Caesarem notio generalis speciali additur ita: *dux et princeps*, 7. 88. 4; *plena lictorum et imperiorum provincia*, III. 32. 4; *possessionum et rerum*, III. 1. 2:

---

1) Wölfflin et Miodonski, C. Asini Polionis Commentarius, Lips. 1889, p. 36.

2) Cf. Moelken 'in comm. de Bell. Af. quaestt. criticae' Argentorati, 1892, p. 91.

3) Obs. crit. de b. Hisp. Prog. Misn. 1876. p. 21.

4) Cf. Reisig III. p. 196.

alia. Specialis generali additur, *contra civem et consulem*, III. 31. 4: *e gente et numero Germanorum*, 6. 32. 1: *necessarii et consanguinei*, 1. 11. 4: *signa militaria . . et aquilae*, III. 99. 4: et saepius.

Ex Pseudo-Caesarianis scriptoribus pauca praebeo eodem quo ante ordine exempla haec: a) *amicum et necessarium*, A. 66. 1: *incendiis et ruinis*, A. 24. 2: *aquilas et signa*, H. 7. 5: *palude et loci natura*, Hirt. 11. 1: *auspiciis et religionibus*, A. 74. 3. b) *principe et praefecto*, Hirt. 12. 6. Quod dicendi genus apud alios scriptores frequens esse a viris doctis satis est demonstratum [1]).

2. De particulae *et* adiectiva coniungentis usu.

a. De singulis adiectivorum gradibus quo modo coniungantur.

Ringius [2]), qui hanc tractavit quaestionem, parum accurate dicit: „Zwei Adjectiva im Positiv verbindet Caesar im ganzen gleich häufig mit allen Partikeln, während im Komparativ und Superlativ sich öfter *atque* (*ac*) findet.“ Ego quidem materia diligentissime exquisita ad hoc indicium perveni: in Bell. Gall. et Bell. Civ., cum positiva coniunguntur, in usu frequentissimo est particula *atque* (*ac*) (numeri hi sunt: *et* 37, *que* 30, *atque* (*ac*) 66); item cum comparativa coniunguntur (numeri: *et* 2, *que* 2, *atque* (*ac*) 7); eadem copula longe praevalet inter superlativa (numeri: *et* 4, *que* 6, *atque* (*ac*) 12). Potest igitur adfirmari Caesarem particulae *atque* (*ac*) favere inter cuiusvis gradus adiectiva.

Apud Pseudo-Caesarianos vero dissimile et varium dicendi genus reperitur. Hirtius et auctor Belli Alexandrini, cum positiva coniungunt, omnibus copulis sine

---

1) Cf. Draeger II. p. 11, Merten p. 9, Spitta p. 24, Ballas p. 12.
2) p. 12.

discrimine utuntur. Inter comparativa *que* semper fere ponunt. Inter superlativa ille *que*, hic quidquid placet scribit. Ex Bello Africo adfero numeros hos: inter positiva *et* 6, *que* 24, *atque* (*ac*) 7; inter comparativa *et* 1; inter superlativa *que* 4. Scriptor Belli Hispaniensis tantum modo particulis *et* et *que* ad coniungenda inter se adiectiva utitur, et ita ut *que* bis tanto praevaleat. Ut verbum de aliorum scriptorum usu addam, Mertenus [1]) docuit Varronem, Pseudo-Cornificium, Ciceronem in hoc suam quemque legem sequi, quod idem Elmerus [2]) de Terentio et Catone dixit.

b. De adiectivo *multus*.

Volgo dicitur si substantivo uni duo adiectiva tribuantur, quorum prius sit *multus*, inter haec intercedere particulam *et*. Tamen satis demonstratum est eodem modo reliquas particulas, atque imprimis *que*, non raro usurpari. Apud Ciceronem multa huius usus exempla adsunt [3]). Apud Caesarem vero nullum ubi *et* intercedat locum invenio. Perscrutatus totam materiam haec habeo exempla:

multis ingentibusque insulis, 4. 10. 4; *multis gravibusque volneribus*, 2. 25. 1; *magni multique* .. *colles*, A. 72. 2; *multos variosque morbos*, A. 5. 2.

c. De numeralibus.

Inter grammaticos constat, si numeralia cardinalia monade et decade composita sint, praecedenti monadi decadem adici per *et*, quod omitti si decadem sequatur. Si ad milia minores numeri accedant, hos sequi, praecedere illa. Has leges Caesar fere sine exceptione secutus est. e. g: *duarum et viginti*, 7. 65. 1: *quattuor et viginti*, 1. 41. 5: *viginti tria*, 7. 69. 1: *cum viginti quinque co-*

1) p. 7, p. 47.
2) p. 321.
3) Merten p. 10.

hortibus, 6. 7. 4: *mille et quingentis passibus*, 1. 22. 1. Unam inusitatam locutionem notavi: *cohortibus centum atque* XXX, III. 10, 5. Quatenus Pseudo-Caesariani scriptores cum Caesare consentiant iudicari non potest, propterea quod codices fere omnibus locis notas numerorum praebent. Uno solo loco legimus *mille et D passus*, Af. 80. 1.

3. De particulis copulativis cum adverbiis.

Ne longum faciam, simul hoc loco *et* particulae usum et ceterarum commentabor.

a. Quae particulae singulae inter duo adverbia ponantur.

Omnibus his scriptoribus excussis, haec reperio vera esse: inter duo cuiuscumque gradus adverbia particulam *que* crebro usurpari [1]; *et* et *atque* saepe inter positiva, minus saepe inter comparativa, minime saepe inter superlativa, Caesarem enim solum praebere exempla et tantum duo [2]. Comparatio aliorum scriptorum patefacit [3]) in hoc genere, aeque atque in adiectivorum conligatione, eos suo quemque arbitrio usos.

b. Singulorum adverbiorum adiunctio [4]).

Simul hoc loco, ut supra, omnes particulas copulativas complectar. Caesar semper *et* praeposuit his: *po-*

---

1) Velim inspicias numeros: *que* inter positiva: Caes. 14 : Hirt. 1 : A. 2 : Af. 14 : H. 2; inter comparativa: Caes. 3 : A. 1 : Af. 2 : H. 1; inter superlativa: Caes. 3 : A. 3 : Af. 1. *et* inter positiva: Caes. 6 : A. 3 : H. 1; inter comparativa: Caes. 3 : H. 1; inter superlativa: Caes. 1. *atque* inter positiva: Caes. 15 : Hirt. 2 : A. 1 : Af. 2; inter comparativa: A. 1; inter superlativa: Caes. 1.

2) I. 57. 3; I. 84. 5.

3) Cf. Merten p. 8.

4) Ringius (p. 18) hanc quaestionem exercuit, sed parum accurate.

stea (1. 21. 4), *illic* (7. 20. 4), *interea* (1, 24. 3), *nunc* (1. 31. 10 : 6. 13. 12 : III, 64, 3), *repente* (6. 12. 8); semper *que* adiecit his: *protinus* (6. 37. 1 : 7. 68. 1 : III. 94. 5 : 95. 13 : 96. 12), *semper* (6. 43. 5 : 7. 25. 1 bis : III. 85. 2), *fere* (7. 35. 1), *simul* (III. 74. 2 : 85. 2); *atque* praeposuit huic: *etiam* (III. 15. 4); *ac* his: *vix* (6. 37. 3), *tum* (5. 43. 4); *et* vel *que* copulat cum hoc: *adeo* (*adeoque* II. 34. 5, *et adeo* III. 23. 2); *ac* vel *que* cum his: *subito* (*ac subito* 3. 6. 1, *subitoque* 5. 26. 2: II. 10. 7), *statim* (*ac statim* 3. 19. 3, *statimque* II. 37. 4 : III. 79. 2 : 80. 7); *atque* vel *que* cum *ultro* (*atque ultro* 6. 35. 4 : III. 37. 7 : 69. 2, *ultroque* I. 79. 5); *et* vel *atque* cum *paulatim* (*et paulatim* 3. 19. 1, *atque paulatim* I. 80. 1); *et* vel *ac* cum his; *sic* (*et sic* 7. 30 4, *ac sic* 5. 23. 3 : 51. 4), *prope* (*et prope* 2. 28. 1 : II. 26. 1, *ac prope* 3. 12. 5), *paene* (*et paene* 2. 24. 4 : III. 86. 4, *ac paene* 6. 36. 2); *atque, que, et* cum his: *ibi* (*atque ibi* 2. 5. 4 : 4. 15. 2 : 19. 3 : 23. 2 : 5. 28. 2 : 6. 24. 2 : I. 27. 3 : 41. 6 : 87. 5 : III. 30. 7 : 41. 5 : 106. 4 : 112. 5, *ibique* 2. 8. 4 : 3. 6. 5 : 5. 25. 4 : 7. 60. 2 : 69. 7 : I. 8. 1 : 10. 1 : 11. 4 : 80. 2 : II. 4. 5 : 14. 4 : III. 13. 5 : 37. 4, *et ibi* I. 41. 2), *item* (*atque item* 3. 13. 2, *itemque* 1. 3. 5 : III. 100. 2, *et item* 1. 29. 1 : 3. 5. 2 : 4. 1. 1); *ac, que, et* cum his: *iam* (*ac iam* 3. 3. 2 : 9. 6 : 15. 3, *iamque* 1. 40. 11 : 42. 2 : 6. 7. 2 : 7. 26. 2 : I. 14. 1 : 52. 2 : 69. 3 : II. 37. 2 : 43. 2 : III. 9. 8 : 49. 1 : 65. 1, *et iam* 2, 19. 8 : II. 23. 1), *rursus* (*ac rursus* 2. 19. 5 : 24. 2 : 7. 43. 5 : III. 93. 1, *rursusque* I. 45. 1 : II. 4. 5 : 9. 7 : 41. 6, *et rursus* I. 83. 2).

Hirtius *que* adiecit his: *adeo* (praef. 5), *semper* (32. 7), *item* (7. 4); *ac* posuit ante *iam* (12. 1); *et* vel *que* posuit cum *ibi* (*et ibi* 48. 8, *ibique* 52. 1).

Auctor Belli Alexandrini *que* adiecit his: *adeo* (43. 2), *semper* (24. 1), *iam* (19. 3); *que* vel *atque* adhibuit cum *ibi* (*ibique* 41. 1 : 56. 6 : 64. 2, *atque ibi* 19. 1).

Auctor Belli Africi *et* praeposuit his: *postea* (64. 1), *subito* (89. 4); semper adiecit *que* his: *propius* (47. 2 :

58. 2 : 61. 2), *item* (18. 5 : 52. 5 : 54. 4 : 62. 2 : 97. 2); *ac* posuit ante *prope* (71. 1); *et* vel *que* iunxit cum *simul* (*et simul* 8. 2, *simulque* 14. 1 : 35. 4 : 36. 2); *et* vel *atque* cum *etiam* (*et etiam* 82. 3, *atque etiam* 63. 3 : 57. 4); *atque* vel *que* cum *ibi* (*atque ibi* 18. 5 : 58. 1 : 11. 3 : 76. 1 : 87. 6 : 97. 1 : 68. 2 : 19. 3, *ibique* 63. 5 : 62. 1 : 10. 1 : 87. 3 : 63. 1 : 96. 2 : 80. 2 : 9. 1); *ac* vel *que* cum his: *rursus* (*ac rursus* 70. 4, *rursusque* 18. 2), *statim* (*ac statim* 86. 1 : 86. 3, *statimque* 1. 11).

Auctor Belli Hispaniensis semper *et* praeposuit his: *fere* (3. 1), *saepius* (42. 4), *propius* (20. 1), *prope* (40. 3); semper *que* adiecit his: *simul* (2. 1 : 13. 7 : 25. 2 : 40. 5. 8. 3 : 42. 2), *item* (39. 1 : 20. 2 : 30. 7 : 31. 9).

Quod si haec indicia conligimus, sequitur ut hi scriptores *et* soliti sint praeponere his: *postea*, *interea*, *illic*, *nunc*, *repente*; *ac* his: *vix*, *tum*; ut *que* semper adverbio *semper* adiecerint; ut *et* vel *atque* ponant ante *paulatim* et *etiam*, quamquam ante hoc adverbium *et* particula rarissima sit; ut *que* vel *et* adhibeant his: *adeo*, *fere*, *simul*, *statim*; *ac* vel *et* his: *sic*, *prope*, *paene*; *que* vel *ac* vel *et* his: *iam*, *subito*, *rursus*; *atque* vel *que* vel *et* his: *ibi*, *item*, quamquam *et ibi* tantum bis [1]) inveniatur.

4. *Et* pro *etiam*.

Multi grammatici fuse docteque de hac re disputaverunt [2]), iamque convenit usum particulae *et* pro *etiam*, cum paene numquam frequentetur, tamen nulli linguae aetati defuisse omnino. Ballasius [3]) monet apud Plautum ita adhiberi particulam, ut in initio enuntiati posita simul vim suam primitivam retineat nostroque '*and also*' respon-

1) I. 41. 2; Hirt 48. 8,

2) Cf. Hand II. p. 499 seqq.; Draeger II. § 313. 1; Reisig III. p. 234; Kühner § 151. 15; Krebs-Schmalz, Antibarbarus p. 473; Anton, Studien I. pp. 26—69.

3) p. 6.

deat. Draegerus [1]) voculam *et* eam, quae simplicem meramque adverbi *etiam* vim habeat, apud vetustiores scriptores esse raram dicit, sed procedente tempore, praesertim post Ciceronis aetatem, fieri frequentiorem. Multa eius generis loca e Tacito Spitta [2]) cumulavit. Ex tribus particulis *et*, *quoque*, *etiam*, prima infirmissima, ultima fortissima est, et non numquam, gradationis causa, conligatae particulae *et etiam* vel *et* . . . *quoque* occurrunt, cuius modi nullus locus, ni fallor, nec apud Caesarem nec apud Pseudo-Caesarianos invenitur. Iam vero ex eis quae modo dixi, facile intellegitur *et* solam positam et habentem vim adverbi *etiam* apud hos scriptores vix aut omnino non posse exspectari. Tamen haec exempla ex codicibus textibusque deprompta in medium profero:

a) *Et pauci de nostris cadunt.* 1. 15. 2.

b) *opus esse et ipsos antecedere ad confirmandam rem publicam.* 7. 54. 1.

c) *sed labore et perseverantia nautarum* [*et*] *vim tempestatis superari posse sperabat.* III. 26. 3.

d) *audacius subsistere, nonnumquam et novissimo agmine proelio nostros lacessere coeperunt.* 1. 15. 3.

In enuntiato (a) perperam, me iudice, Draegerus ait [3]) *et* particulam habere meram vim copulativam. Potius geminam habet vim, quam reddi licet nostra lingua '*and also*'. De exemplo (b), notissimum quidem est *et* pro *etiam* maxime ante pronomina, praesertim apud recentiores scriptores, frequentari, qua de causa vellem hanc lectionem posse probari, sed negari nequit Nipperdeium rem acu tetigisse dicentem talem esse sententiam ut copula delenda esset. In tertio exemplo (c) Dinterus primus, quod sciam, copulam *et*, quam plerique tenent codices, delevit, cuius auctoritatem multi editores, e quibus nuper Holderus, secuti sunt. Sed retinendam voculam et intendendam ut pro *etiam* accipiatur narratio plane ostendit.

---

1) II. p. 31. 2) p. 49. 3) II. p. 31. 4) p. 69.

Nam adpropinquantibus Dyrrachium Caesarianis, cum Coponius ad eos contendisset, leniore vento fiebat, ut Caesariani tardius procederent et Coponius eos paene consequeretur, sed cum ventus rursus increbruisset, superabant. Coponius tamen sperabat remigando '*et* (i. e. *etiam*) *vim tempestatis superari posse*'. Mengius *etiam* pro *et* voluit legere, quam coniecturam, simplici copula eandem vim habente, supervacaneam puto. Proximo loco (e) sine ulla dubitatione fieri potest ut *nonnumquam* utrique membro commune habeamus, id quod Nipperdeius [1]) postulat.

Ex Pseudo Caesarianis scriptis unum locum, quia corruptissimi sunt reliqui [2]), commemoro:

Nam et munitione praesidii ita coangustabantur, ut, H. 23. 7, ubi Fleischerus [2]) coniecit '*et munitione et praesidiis* [3]), cum nullo alio loco inveniatur in hoc libro *et* notione *etiam* particulae praedita, sed ubique *etiam* (cf. 8. 3 : 23. 8 : 38. 2 : 41. 3 : 42. 7). Sed Oudendorpius et Nipperdeius et plerique critici illam probaverunt lectionem.

5. *et* comparativum.

Duae res quarum similitudo aut diversitas est significanda interdum componuntur per *et*, sed longe saepius per *atque* (*ac*), post verba *aequus*, *similis*, *pariter*, *idem*, *alius*, *aliter*, similia [4]).

Apud veteres scriptores *et* hanc vim raro habet, sed iam apud Sallustium et Ciceronem multa exempla occurrunt. Apud auctores, quos tractamus, invenio haec:

Hic locus aequo fere spatio ab castris Ariovisti et Caesaris aberat. 1. 43. 1.

---

1) p. 70.

2) A. 12. 1 : Af. 26. 3 : 43. 1 : H. 1. 1 : 17. 2 : 22. 3.

3) Fleischer, Quaestiones de bello Hispaniensi, pars altera. Progr. Misn. 1885, p. 14.

4) Cf. Reisig III. p. 196; Draeger II. § 311. 18; Kühner § 151. 13

Haec eodem tempore Caesari mandata referebantur, et legati ab Haeduis et a Treveris veniebant. 1. 37. 1: sim. 2. 24. 1 : 7. 83. 8 : I. 50. 3 : I. 62. 3 : III. 69. 1 : H. 20. 4 : A. 29. 4. (Nec silentio praetereundum est apud hos scriptores post *eodem tempore* in comparatione *atque* (*ac*) poni nusquam.) Simillimi sunt plurimi loci ubi post adverbium *simul* copula *et* ponitur, e. g. *simul de deditione eorum agebat et incolumitatem deditis pollicebatur*, III. 28. 2.

Pompeius . . dixerat eodem se habiturum loco qui Romae remansissent et qui in castris Caesaris fuissent. I. 33. 2.

Post *alius, aliter* nullum particulae *et* vim comparativam habentis exemplum suppeditat.

6. *et* valet *et sic, et ita, et tum.*

Fieri potest ut sententiae per *et* coniungantur quarum altera priorem definitius exponat et aliquid addat quod ex hac consequatur, ut valeat *et ita, et sic, ut* [1]. Pauca exempla praebeo.

Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur. 6. 13. 12.

pons est interruptus et reliqua multitudo equitum interclusa. I. 40. 3.

nuntiaverunt ex eo tempore metum esse magnum et Attium Varum circum castellis praeesse. H. 27. 2.

7. Per *et* particulam transitio fit.

Interdum *et* in initio enuntiati ponitur, praesertim ante adverbia *hercule, certe, profecto*, similia, per quae vis quaedam et pondus addatur transitioni ad aliam et

1) Cf. Reisig III. p. 196; Ballas I. 16.

inopinatam rem faciendae. Huic sermonis generi historici aetatis argenteae maxime faverunt [1]), sed apud Caesarem est rarissimum. In Bello Gallico et Bello Civili, tantum quattuor tales locos inveni atque omnes hos, uno excepto, in Belli Civilis libro tertio. Exempla subiungo:

Hac oratione habita concilium dimisit. Et secundum ea multae res eum hortabantur qua re, cett. 1. 33. 2.

Et longo interposito spatio, cum diuturnitas oppugnationis neglegentiores Octavianos effecisset, cett. III. 9. 6.

(*Milo*) *lapide ictus ex muro periit. Et Caelius profectus,* cett. III. 22. 3.

Et L. Domitius in comitio dixit, cett. III. 83. 3.

Ex Pseudo-Caesarianis excerpsi haec:

Et hercule, cum eo nuntio pulvis ingens conspici coeptus est, cett. Af. 12. 1.

Et, cum plures adortus esset......, forte incidit in navem in qua, cett. Af. 28. 2.

Eodem die Q. Marcius . . . ad nos transfugit. Et noctis tertia vigilia, cett. H. 11. 2.

8. *Et* valet *et quidem.*

Nonnumquam per *et* sententia quaedam aut notio explicandi causa apponitur, et haud raro apud alios scriptores, sed non apud Caesarem, una illa vox, de qua maxime agitur, repetitur (cf. Tac. Hist. 1. 25 : 1. 72 : Cic. Rosc. Am. § 19). In talibus commissuris *et* valere *et quidem, et sane, et profecto* videtur; sed haec vis non particulae attribuenda est, potius in collocatis reliquis verbis inest quae distinctiorem definitionem addunt [2]). *Et explicativum,* quod appellari potest, frequentissime ante pronomen *is* aut adverbium *maxime* ponitur. Exempla ex Caesare et eius supplementis adfero: *quod . . unum habeat et perangustum aditum,* 7. 15. 5.

1) De Tacito cf. Spitta, p. 104.

2) Cf. Kühner § 151; Draeger II. p. 12; Reisig III. p. 195.

Ut potius privato paucorum et latronum quam regio consilio susceptum bellum videretur. III. 109. 6.

Parva enim copia et ea tironum. Af. 10. 3.

In pauca oppida et bene munita. Af. 20. 4.

Usu venisse hoc civi Romano et ei qui, cett. Af. 57. 3.

Non satis copiarum habebat et eas tironum. Af. 5. 1.

Unum adversum et id mediocre. III. 73. 2: sim. I. 84. 1 : 5. 30. 1.

Conloquendi Caesari causa visa non est, et eo magis, quod, cett. 1. 47. 2.

Uxores habent . . . inter se communes, et maxime fratres cum fratribus, cett. 5. 14. 4: sim. 5. 45. 1 : 3. 9. 3 : 7. 30. 1 : III. 37. 3.

9. *Et* adversativum.

Copula *et* saepe inter diversa et contraria intercedit, ubi particulam adversativam exspectemus[1]). Utique frequens est haec conlocatio cum adiunguntur negativis sententiis vel notionibus adfirmativae. Qui usus apud veterrimos scriptores et in inscriptionibus satis demonstratus fusiusque ab Elmero[2]), Ballasio[3]), Merteno[4]) tractatus est. Spitta[5]) demonstravit apud Tacitum paulo latiorem esse usum quam apud aureae aetatis scriptores, qui plerumque hoc dicendi genus vitant, nisi negativa notio aut sententia praecedit. In usu adversativo voculae *et*, *que*, *atque* (*ac*) — nam inibi de ceteris quoque agam — non multum inter se differunt. Saepe omnibus his utitur Caesar, dum modo negatio praecedat. Numeri

---

1) Cf. Kühner § 151. 8; Draeger II. p. 22.

2) p. 309.

3) De Plauto p. 9.

4) Merten (pp. 12—16) multos locos Varronis et Ciceronis adfert.

5) p. 11. Item cf. Nipperdeium in Praef. ad annales, p. 34 seq.

sunt: *et* duodecies, *que* quinquies et vicies, *atque* (*ac*) septies decies. Pseudo-Caesariani scriptores longe inter se et ab Caesare hac re dissentiunt. Sed convenit inter omnes ut vitent *atque* (*ac*), nisi negatio praecedat.

Hirtius nullum omnino exemplum praebet uno excepto et eo in quo nulla praecedat negatio: *Itaque omnibus .... manus praecidit vitamque concessit.* 44. 1. Scriptor Belli Alexandrini vitat *et*, sed *que* quinquies, *ac* semel adhibet, semper praecedente negatione. Scriptor Belli Africi ex omnibus liberrimus est, nam copulas ponit ita: praecedente negatione *et* quater, *que* sexies, *atque* (*ac*) ter; sine tali negatione *et* semel, *que* ter. In Bello Hispaniensi tres loci sunt, quibus omnibus *et* usurpatur, bis praecedente negatione, semel non praecedente. Omnes locos infra attuli:

1. Negatio praecedit:

ET. Caes. 1. 8. 3 : 2. 23. 2 : 4. 11. 6 : 4. 36. 4 : 5. 34. 3 : 5. 8. 2 : 6. 2. 3. : 6. 7. 6 : I. 32. 7 : 85. 3 : II. 6. 1 : III. 74. 2.
Af. 1. 2 : 14. 1 : 54. 5 : 87. 7. H. 12. 2.

QVE. Caes. 1. 32. 4 : 1. 42. 2 : 2. 21. 2 : 5. 18. 5 : 21. 5 : 6. 18. 3 : 22. 1 : 7. 76. 2 : I. 6. 6 : 19. 1 : 33. 1 : 48. 3 : 70. 5 : 71. 3 : 74. 2 : II. 7. 1 : 34. 6 : 41. 3 : III. 13. 3 : 51. 2 : 64. 3 : 72. 3 : 73. 2 : 93. 6 : 102. 7.
A. 6. 2 : 16. 1 : 11. 1 : 18. 3 : 66. 3.
Af. 1. 4 : 7. 4 : 9. 2 : 28. 3 : 42. 1 : 61. 3.

ATQVE (Ac). Caes. 3. 4. 4 : 19. 3 : 4. 26. 1 : 35. 2 : 5. 5. 2 : 43. 4 : 6. 8. 6 : 23. 6 : 29. 2 : 7. 4. 3 : 13. 2 : 31. 1 : I. 19. 3 : 44. 4 : II. 31. 8 : 39. 6 : III. 94. 2.
A. 24. 6. · Af. 62. 3 : 63. 5 : 90. 3.

2. Negatio non praecedit:

ET. Af. 43. 1. H. 18. 1.

QVE. Hirt. 44. 1. Af. 25. 3 : 40. 5 : 83. 4.

10. Vox negativa sequitur coniunctionem *et*.

Cum non tota sententia sed una notio negatur aut vis negationis augetur, *et* haud raro pronominibus negativis, *nullus*, *nemo*, *nihil*, et adverbiis negativis, *non*, *numquam*, *nusquam*, coniungitur. Quem copularum usum apud summos scriptores inveniri, multis grammaticis invitis, scitissime ab Ringio [1]) demonstratum est. Tamen quae de Caesare et Pseudo-Caesarianis adtulit nec satis copiosa nec talia sunt ut emendata vocentur. Omnes locos ubi hi scriptores copulas cum pronominibus negativis sociarunt indagavi, et sunt hi:

et . . nulla re ex provincia . . . sublevari poterat- 7. 6. 54.

et . . . nihil, quod ipsis esset indignum, committebant. 5. 35. 5.

ac nullo hoste prohibente. 3. 6. 5.

ac nihilo setius sublicae . . . oblique agebantur. 4. 17. 9.

cum consumpsisset et nullam partem munitionem convellere potuisset. Hirt. 26. 4.

quod et nullos milites in navibus habebat et post horam X diei res agebatur. A. 10. 5.

nullumque periculum deprecaturos. A. 57. 6.

sine mora ac nulla excusatione. Af. 26. 3.

et nullam praetermittere occasionem. Af. 1. 3.

et nihilo minus fortissime pugnare. Af. 78. 4.

et nihilo minus partem militum castra non ignaviter munire. Af. 81. 1.

Indiculo inspecto observamus hos quidem auctores perraro pronomina negativa cum copula componere, tum vero *nullus* et *nihil* fere ita ponere. Deinde apud Caesarem saltem duobus locis negativum pronomen non continuo, sed aliis verbis interpositis copulam sequitur. Qua

---

1) p. 14. Cf. item Draeger II. p. 6 seqq.; Reisig III. p. 210.

de re Ringius[1]) cum ipse parum accurate docuit, tum Draegerum[2]) in errorem induxit, nam uterque omnibus his apud Caesarem locis dicit, statim pronomen excipi a copula. Etiam illud dignum memoratu est, copulam *ac*, quae Draegeri sententia raro hanc conlocationem admittat, apud Caesarem quidem aeque saepe atque *et* inveniri.

Auctor Belli Africi saepius pro portione hac locutione quam reliqui hi scriptores utitur, et enim quattuor locos ostendit, atque adeo quoque loco copulam statim ante negationem ponit. Neque Hirtius neque auctor Belli Alexandrini omnino hanc locutionem fugit, parcius tamen admiserunt.

Et non et *ac non* haud raro apud Caesarem occurrunt, sed *que* . . *non* non exstat exceptis huiusmodi sententiis:

Cum se suaque ab eis defendere non possent. 1. 11. 2, ubi copula non enuntiata sed binas in negativo enuntiato positas notiones inter se coniungit. Sed alius generis sunt hi loci quos iam commemoro:

Opereque faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem. Af. 47. 2.

Arma capiunt contraque regem facere non dubitant. Af. 55. 1 : sim. 85. 3 : H. 41. 5.

Quem usum fere summis scriptoribus alienum[3]) eo minus miramur, quod in Bello Africo et Bello Hispaniensi occurrit, quae opuscula multifariam sermonem plebeium resipiunt, qui, ut supra dixi, imprimis particulae *que* favet. *Ac non* apud Pseudo-Caesarianos uno loco excepto[4]) non invenitur. Nec *et non* apparet in Bello Alexandrino, nec apud Hirtium, qui quidem totum hoc dicendi genus et negativam commissuram fugit, illa una sententia ex-

---

1) p. 14. 2) II. p. 9.

3) Mertenus, p. 11, adfert duos locos Ciceronis, de Or. I. § 22, de Fin. V. § 26.

4) A. 24. 6.

cepta quam memoravi. Sed scriptores Belli Africi et Belli Hispaniensis *et non* saepius adhibent.

V. QVE.

Ut per *et* copulantur notiones vel enuntiata omni interiore ratione neglecta, ita per *que* (Gr. τε, nostra lingua '*also*') notiones vel enuntiata suapte natura cohaerentia. Qua de causa *que* est aptissimum et accommodatissimum ad leges, acta, reliquaque eiusmodi documenta, quae astrictum dicendi genus contractumque ament. Itaque in antiquissimis linguae Latinae monumentis, quae pleraque eiusmodi sunt, haec particula maxime frequentatur, et usque adeo ut *et* et *atque* perraro ponantur, tum tantum cum ambiguas iuncturas vitari oportuit quales sunt *utique*, *neque*, *undeque*, *adque*, cett. [1]). Quem usum procedente tempore permansisse est manifestum, nam Cicero in senatus consulto [Phil. 14. 36] dato quadragesimo tertio anno ante Christum posuit *que* ter et vicies, *et* bis, *atque* semel, et id cum ipse fere parcius particula *que* utatur quam alii recentiores scriptores [2]).

Atque ex inscriptionibus, etiamsi alius orationis habitus fuerit, discimus eandem particulam, licet non praevaluerit, tamen *et* particulam paene aequavisse [3]). Hanc frequentiam permansisse in sermone populi cotidiano facile intellegitur, propterea quod homines plebei antiquissima quaeque fidelissime retinent per omnes linguae aetates. Sed haec hactenus: transeamus ad singula et primum de *que* particulae conlocatione disputemus.

---

1) Cf. Ringe p. 1; Merten p. 2; Elmer p. 294.
2) Cf. Geisler, Phil. 10, p. 100.
3) Cf. Elmer p. 297.

1. De particulae *que* conlocatione.

Sedem propriam habet *que* cum sententias aut sententiarum partes componit post primum vocabulum. Kühnerus[1]) nonnullos scriptores tertium locum voculae dare monet, cum prima vox sit *tam* aut *iam*, ideo quia hae cum verbo sequenti unam notionem faciant. Sed nec Caesar nec quisquam Pseudo-Caesarianorum scriptorum ullum huius usus exemplum ostendit. Multo gravior est quaestio, num *que* praepositioni adiciatur primum locum obtinenti, quam nunc adgredior.

a. De *que* particulae cum praepositionibus conlocatione.

In lexico quod inscribitur 'Harper's Latin Dictionary' legimus[2]): 'Que is usually appended to the first word of the phrase, but to a noun rather than to a monosyllabic preposition governing it unless the preposition is repeated'. Perperam haec et minus accurate dicta esse non dubito contendere, etenim inscriptiones vetustissimae et Plauti comoediae semper *que* praepositioni adnexum exhibent, neque discrimen est utrum praepositio monosyllaba sit et repetita necne[3]). Antiquitus igitur apparet *que* primo verbo esse sine ulla exceptione adnexum. Tamen non dubium est quin postea haec libertas artiores intra cancellos coërcita sit. Iam apud Terentium tribus tantum locis *que* praepositioni monosyllabae adiunctum est et uno quoque loco praepositioni repetitae[4]). Apud Varronem numquam praepositioni *que* adhaeret, sed semper nomini sequenti. Contra ea Cicero ad multas praepositiones applicat *que*, ad has: *de*, *cum*,

---

1) II. § 152. 1. 2) p. 1509.

3) Cf. Ballas p. 19, Elmer p. 302.

4) Ter. Haut. 811, *cum .. cumque*; And. 290, 540, *per ... perque.*

ex, *pro*, *per*, *in*, *intra*, *infra*, *circum*, *propter*[1]). Denique Klammerus[2]) Senecam docet numquam *que* in fine praepositionis monosyllabae et bis tantum in fine repetitae praepositionis posuisse. Sed perperam addidit a Livi temporibus legem, secundum quam praepositionibus tum solum coniungeretur *que*, si repeterentur illae ac plurium syllabarum essent, neglegi coeptam esse. In quem errorem item Ringius[3]) et Draegerus[4]) inciderunt. Kuehnerus[5]) quoque antiquissima tempora nimium neglegit dicens perraro *que* praepositionibus adhaerere et rarissime monosyllabis.

Iam transeamus ad Caesarem et eius supplementa, atque quo facilius scitiusque comparationem faciamus et conclusionem, totam materiam in medium protuli, adnumeravi etiam ceteras cum praepositionibus nexas particulas.

a) Praepositio Repetita.

a (*ab*) . . . *et a* (*ab*), 1. 37. 1 : 2. 5. 4 : 23. 4 : 25. 1 : 5. 34. 2 : 35. 3 : 7. 17. 1 : 23. 5 : III. 10. 8 : 51. 2 : 79. 5. (11 loci).

a (*ab*) . . . *atque a* (*ab*), I. 25. 9 : III. 3. 1 : 78. 3. (3 loci).

ad . . . *et ad*, 4. 19. 4 : 23. 5 : 34. 2 : 6. 1. 3 : 30. 4 : 7. 32. 2 : III. 1. 3 : 107. 2 : 112. 8. (9 loci).

ad . . *atque ad*, I. 24. 3.

apud . . . *atque apud*, II. 28. 2.

ante . . . *et ante* (adv.), III. 105. 2.

cum . . . *et cum*, 1. 44. 9 : 3. 23. 4 : 5. 36. 3.

de . . *et de*, 2. 10. 4 : 3. 19. 5 : 6. 44. 2 : 7. 37. 5 : I. 5. 4 : 86. 2 : II. 39. 3 : III. 16. 5 : 20. 1 : 53. 5. (10 loci).

de . . *ac de*, III. 82. 3.

ex . . *et ex*, 4. 31. 1 : III. 6. 1 : 60. 1 : 108. 4. (4 loci).

ex . . *atque ex*, I. 34. 5 : III. 89. 4. (2 loci).

---

1) Cf. Merten p. 20. 2) p. 40. 3) p. 19.
4) II. § 314. 1. 5) II § 113.

in .. et in, 1. 21. 4 : 5. 33. 2 : 6. 11. 2 : 29. 3 : I. 62. 3. (5 loci).

in .. inque, II. 10. 2 : 5. 36. 2. (2 loci).

in .. atque in, 1. 33. 2 : 4. 22. 5 : 6. 11. 2 : 21. 3 : I. 5. 3. (5 loci).

per .. perque, III. 108. 3.

pro .. et pro, 1. 2. 5 : 5. 8. 1.

propter .. et propter, 1. 26. 5 : 47. 4 : 2. 8. 1.

sine .. et sine, 3. 21. 1 : 7. 52. 2 : I. 72. 1 : 73. 3 : III. 86. 4.

b) Praepositio non Repetita.

et a (ab), 1. 3. 4 : 7. 3 : 9. 4 : 14. 4 : 3. 13. 9 : 4. 9. 1 : 5. 28. 6 : 6. 14. 2 : 7. 45. 10 : 63. 7 : 87. 5 : I. 29. 2 : 30. 5 : 75. 3 : III. 64. 3 : 79. 5 : 87. 7. (17 loci).

atque a (ab), 6. 29. 4 : I. 65. 3 : III. 10. 1 : 14. 2 : 15. 7 : 16. 4 : 78. 3. (7 loci).

et ad, 1. 7. 1 : 29. 1 : 46. 1 : 47. 5 : 53. 8 : 2. 8. 4 : 19. 7 : 21. 2 : 3. 10. 3 : 18. 4 : 18. 8 : 25. 1 : 44. 2 : 4. 8. 3 : 17. 9 : 21. 1 : 6. 20. 2 : 7. 31. 4 : 53. 1 : II. 29. 1 : III. 14. 3 : 29. 1 : 39. 2 : 49. 3 : 54. 2 : 59. 4 : 79. 1 : 79. 7 : 80. 3 : 80. 7 : 93. 1. (31 loci).

atque ad, 2. 10. 1 : 5. 3. 6 : 7. 22. 1 : I. 69. 1. (4 loci).

atque, 7. 45. 6 : 54. 1. (2 loci).

et ante, II. 5. 3.

atque apud, III. 57. 1.

et circum, 1. 18. 5.

circumque, 7. 7. 4 : I. 37. 1 : III. 2. 3. (3 loci).

contraque, 6. 30. 1.

ac contra, 1. 44. 3.

et cum, 1. 38. 7 : 4. 17. 9 : 21. 7 : 24. 3 : 5. 11. 5 : 50. 5 : 6. 2. 3 : 7. 38. 8 : I. 4. 4 : 62. 5 : II. 36. 2 : III. 60. 4. (12 loci).

et de, 4. 8. 3 : 24. 2 : 5. 3. 5 : 39. 1 : 6. 20. 2 : 7. 55. 4 : I. 26. 6 : II. 36. 3 : III. 42. 3 : 62. 2 : 85. 4 : 107. 2. (12 loci).
deque, 7. 45. 2.

et ex, 1. 26. 3 : 3. 6. 2 : 4. 28. 2 : 5. 11. 3 : 28. 5 : I. 18. 4 : III. 27. 2 : 46. 5. (8 loci).
atque ex, 2. 8. 3 : 7. 36. 5 : 38. 5 : I. 25. 3 : 35. 3 : 45. 7 : 54. 4 : 70. 3 : III. 36. 5 : 51. 7 : 63. 8 : 100. 2. (12 loci).
exque, II. 9. 8.

intra extraque, III. 72. 2.

et in, 1. 4. 4 : 11. 1 : 31. 12 : 33. 3 : 43. 1 : 47. 6 : 2. 5. 6 : 8. 3 : 19. 7 : 23. 2 : 28. 2 : 3. 8. 1 : 9. 3 : 13. 9 : 28. 3 : 29. 3 : 4. 6. 4 : 24. 2 : 27. 4 : 33. 3 : 7. 39. 2 : I. 34. 2 : 61. 3 : 67. 5 : 81. 7 : II. 23. 3 : III. 54. 1 : 61. 1 : 66. 2 : 104. 3. (30 loci).
atque in, 1. 12. 3 : 20. 2 : 2. 3. 2 : 21. 4 : 32. 4 : 3. 9. 7 : 11. 2 : 22. 1 : 4. 10. 1 : 9. 7 : 25. 4 : 27. 4 : 34. 5 : 37. 1 : 5. 10. 2 : 11. 1 : 20. 3 : 33. 4 : 36. 4 : 50. 5 : 58. 4 : 6. 8. 3 : 9. 6 : 38. 2 (*bis*) : 7. 4. 3 : 11. 9 : 13. 2 : 62. 3 : 66. 5 : I. 3. 1 : 11. 1 : 23. 4 : 28. 2 : 33. 4 : 36. 2 : 43. 1 : 44. 4 : 47. 4 : 58. 4 : II. 20. 4 : 29. 1 : 42. 3 : III. 31. 4 : 37. 4 : 46. 4 : 92. 2 : 98. 3. : 102. 7. (49 loci).

atque inter, 4. 14. 4 : I. 46. 3 : III. 63. 8.

iuxtaque, I. 16. 9 : III. 41. 4.

et ob, 1. 17. 6 : 7. 4. 1. (2 loci).
atque ob, 5. 33. 2 : 6. 16. 2. (2 loci).

et per, 4. 21. 5 : I. 23. 5 : 32. 7 : 85. 3.

et post, 2. 5. 5.

et praeter, 1. 43. 3 : I. 46. 5 : 59. 3 : III. 61. 1.

et pro, 1. 43. 4 : 3. 29. 1 : 6. 10. 5 : I. 17. 4. (4 loci).
ac pro, 5. 16. 1.

et propter, 4. 27. 4 : I. 45. 6.

et sine, I. 55. 1 : II. 26. 4. (2 loci).
ac sine, II. 9. 9 : III. 66. 6. (2 loci).

et sub, 1. 7. 4 : 3. 24. 3 : 7. 49. 2 : I. 41. 2 : 45. 1 : 45. 2 : III. 13. 6.

sub occasumque solis, 2. 11. 6.

supraque, II. 9. 2. (*bis*).

et trans, III. 13. 6.

Hinc apparet Caesarem, cum praepositio repetitur, semper *et* praescribere his[1]): *ante, pro, propter, sine; atque* praepositioni *apud* praescribere; *que* praepositioni *per* adicere. *Et* longe praevalere cum his *a* (*ab*), *ad, de, ex;* locutiones *in . . . et in, in . . . atque in* pares numero esse. Cum praepositio non repetitur, Caesar semper *et* particulam ponit ante has: *ante, cum, per, post, praeter, sub, trans; que* copulam addit ad has: *extra, supra, iuxta*[2]. *Atque* voculam semper praescribit his: *apud, inter. Et* longe praevalet ante has: *a* (*ab*), *ad, de, pro; atque* ante *ex* et *in. Ac* perraro ante praepositiones ponitur, cuius usus quinque exempla apud Caesarem sunt: *ac contra, ac de, ac pro, ac sine* (bis), ex quibus *ac contra* eo magis mirabile est quod *ac* molestius auditur raroque conlocatur ante litteram gutturalem. Voculae *et, atque* ante *ob* pares numero sunt.

Plerumque Caesar *que* vitat praepositionibus adiungere, maxime monosyllabis, cuius conligationis sola exempla sunt *perque, adque* (bis) *exque, inque* (bis), omnino septem. Ex his praepositionem non habent repetitam nisi duo[3]) (*in . . . inque, per . . . perque*). Omisit *que* ad praepositionem addere et scripsit *magnaque ex parte*, I. 31. 8 : *sub occasumque solis,* 2. 11. 6 : *de senatusque consulto*, 7. 1. 1 : *ob easque res*, 2. 35. 4 : *in annosque*, III. 82. 3. Frequentior autem apud Caesarem est commissura

---

1) Ringius (p. 19) perperam addit *ad, de.*

2) Ringius (p. 19) perperam addit *infra,* quod verbum, ni fallor, cum *que* apud Caesarem non legitur copulatum.

3) Cf. supra contrariam ex Harperi lexico sententiam depromptam.

disyllabarum praepositionum cum *que*, praesertim si eaedem munere adverbiorum funguntur, id quod apparet ex novem locis: *circumque* (ter), *contraque*, *extraque*, *iuxtaque* (bis), *supraque* (bis).

Ringius[1]) plane errat, quatenus rationem cum Caesare habet, dicens semper disyllabis in litteram ā desinentibus praepositionibus *que* particulam adici, itemque talibus, qualium syllaba ultima positionem accipiat accedente particula[2]). Nam Caesar scribit cum *contraque*, *circumque*, tum *et circum* (1. 18. 5), *ac contra* (1. 44. 3), idem nusquam *interque*, *praeterque*, *propterque*, sed ubique *atque inter*, *et praeter*, *et propter*. Accedat ut inter omnes conveniat Caesarem et reliquos optimos scriptores numquam *ob*, *sub*, *apud*, raro *ab* praepositioni adicere *que*.

Restat ut supplementa Caesaris inspiciamus. Haec quidem easdem fere leges observant. Plenos numeros locosque adfero

a) Praepositio Repetita.

a (*ab*) . . *et a* (*ab*), Af. 20. 1.
ad . . *et ad*, A. 59. 2 : Af. 59. 5.
de . . *et de*, Af. 2. 3.
de . . *ac de*, A. 16. 2.
ex . . *et ex*, A. 19. 6. (bis).
ex . . *atque ex*, Af. 69. 1.
in . . *et in*, Af. 8. 1 : H. 42. 3.
in . . *atque in*, Hirt. 5. 2.
inter . . *et inter*, H. 34. 1.
pro . . *et pro*, Af. 89. 5.
sub . . *ac sub*, Af. 75. 3.

---

1) p. 21.

2) Item perperam Gildersleeve-Lodge, Latin Grammar § 47. 6. 3; Draegerus II. § 314. 1; Krebs-Schmalz, Antibarbarus II. p. 409.

b) Praepositio non Repetita.

et a (*ab*), Af. 3. 1 : 39. 2 : 78. 7 : 98. 2 : H. 12. 2 : 36. 2.
a (*ab*)*que* non invenitur. *ab eoque*, Af. 92. 4, *ab suisque*, Af. 93. 3.
atque a (*ab*), A. 65. 1 : Af. 19. 3 : 67. 3 : 76. 1.

et ad, A. 54. 1 : 57. 1 : Af. 5. 1 : 12. 3 : 29. 3 : 44. 1 : 60. 1 : 97. 3 : H. 6. 2 : 8. 1 : 10. 2 : 19. 3 : 21. 3.
adque non invenitur.
atque ad, A. 21. 2 : Af. 91. 1 : 91. 4.

et ante, Af. 44. 3 : 87. 3 : 98. 2.
atque ante, Af. 46. 1 (Caesar *et ante*).

et apud, H. 17. 1 (Caesar *atque apud*).

et circum, H. 20. 11.

et contra, A. 19. 5 : Af. 27. 1 : 73. 2 : H. 27. 3.
contraque, Af. 55. 1.

et cum, Af. 28. 2 : H. 13. 1.
cumque, H. 16. 2 (non apud Caesarem).
et de, Af. 26. 2 : 90. 1 : H. 15. 6.
deque non invenitur. *de vitaque*, Af. 90. 2.
ac de, Af. 87. 8 (non apud Caesarem).

et ex, Af. 73, 1 : H. 13. 7.
atque ex, Hirt. 26. 21. A. 1. 1 : 1. 5 : 54. 3.
exque[1]), H. 4. 1. *ex regnoque*, Af. 97. 1.

et extra, Af. 31. 7.
atque extra, Af. 89. 5.

et in, A. 13. 3 : 13. 4 : Af. 10. 4 : 14. 1 : 20. 1 : 26. 2 : 42. 1 : 59. 2 : 61. 8 : 71. 1 : 83. 2 : H. 6. 3 : 16. 2.
atque in, Hirt. 6. 2 : 18. 3 : 45. 2 : 55. 3 : A. 15. 5 : 19. 3 : 25. 3 : 26. 3 : Af. 11. 2 : 31. 1 : 34. 3 : 38. 1 : 40. 5 : 51. 1 : 63. 5 : 70. 4 : 72. 5 : 76. 2 : 78. 2 : 87. 8 : 88. 2 : 93. 1.

---

1) *ex quo* cod. Ashburnhamiensis.

inque non invenitur. *in* [1]) *murisque*, Hirt. 43. 2 : *in tuaque praesidia*, Af. 35. 4 : *in Africamque*, Af. 64. 1 : *coronaeque in modum*, Af. 70. 3 : *in eosque*, Af. 71. 2 : *in conspectuque*, H. 15. 6.

et inter, Af. 13. 1 : 14. 2 (non apud Caesarem).
atque inter, Af. 56. 2.

et ob, Af. 28. 2.

et per, Af. 22. 5 : 26. 3.
perque, A. 51. 1 (non apud Caesarem).

et post, A. 10. 5 : Af. 28. 3 : 40. 3 : 98. 1.
atque post, Af. 73. 4 : 36. 1 (non apud Caesarem).

et pro, Af. 54. 4 : 98. 2.

et propter, H. 8. 3 : 14. 2 : 17. 2.

et sine, Af. 29. 2 : 33. 1 : 51. 3 : 88. 3.

et trans, H. 7. 1.

ultraque, Af. 50. 1.

Ex comparatione horum cum Caesare multo maior concordia apparet quam discrepantia. Velim animadvertas praesertim locutiones *et circum*, *et contra*, *et extra*, *atque extra*, *et inter*, *atque inter*, quae omnes adversantur legi supra dictae quam Ringius constituere vult. Porro etiam commissurae *cumque* (H. 16. 2), *exque* (H. 4. 1), *perque* (A. 51. 1) documento non levi sunt repetitionem monosyllabae praepositionis non esse necessariam huius copulae condicionem.

b. *Que* particula litterae gutturali addita.

Grammatici [2]) monent numquam, saltem aurea litterarum aetate, *que* particulam verbis adhaerere, quae in litteram gutturalem exeant. At etiam scriptores, qui ante id tempus floruerunt, hanc fugerunt adiunctionem. Nusquam

1) *in* Forchhammeri additamentum.
2) Cf. Draeger II. p. 37, Kühner § 152. 5.

enim in fabulis plautinis [1]) invenitur. Contra ea recentioribus temporibus [2]) satis saepe occurrit. Probabilis causa vitandi est quo iucundior ad aures sonus perveniat. Nec Caesar nec Pseudo-Caesariani scriptores usquam in hanc legem offendunt, tali loco, pro *que*, *et* aut *atque* ponentes (e. g. *huc atque illuc*, Af. 73. 3).

c. *Que* particula in enuntiati exitu.

Perraro in enuntiati exitu poni *que* non est mirandum, nam solent boni venustique scriptores gravius fortiusque verbum appetere ad sententiam concludendam. Itaque fit ut apud Ciceronem [3]) numquam *que* ultimum locum obtineat. Sed, ut fieri solet, procedente tempore neglegentiores se in hac re scriptores gerebant, quam ob rem semel et saepius haec dicendi improprietas apud Livium, Suetonium, imprimisque Plinium Secundum apparet [4]). Commentariis Caesaris diligentissime perlustratis, solos tres locos repperi:

et item separatim pueri, senes mulieresque. I. 29. 1.
et pro rata parte centurionibus evocatisque. I. 17. 4.
subsecuntur tribuni militum centurionesque. I. 76. 3.

Ex supplementis praesto est unum exemplum:

et praeterea intercepti hostium complures equites peditesque. Af. 19. 1.

Nam de industria omitto locum A. 25. 2:

Itaque expeditis navigiis locis idoneis ad Canopum in statione dispositis navibus insidiabantur nostris commeatuque.

Qui sine dubio corruptus est. Plerique codices legunt *commeatu*, lectio *commeatuque*, quae mihi inepta vi-

---

1) Cf. Ballas I. p. 21.

2) E. g. Plin. N. H. 35. 31 *hocque.*

3) Cf. Seiler, De Particulis Copulativis Quaestiones Grammaticae et Metricae, Diss. Inaug. Halis Sax. 1891, p. 7.

4) Cf. Reisig III. § 233.

detur, Nipperdei [1]) coniectura nititur. Nam profecto facile intellegitur ex eis quae supra demonstravi, emendationem coniecturalem, qua in sententiae exitu *que* ponatur, non vacare suspicione gravi, praesertim hac Latinitatis aetate. Neque praetermittam nullo alio loco auctorem libelli hoc sermonis genus adhibere. Kueblerus [2]) proponit, quod similius veri mihi videtur, aliquid aliud amissum et addere cogitat *onustis*. Mihi in animo est aliam emendationem subicere nescio an magis probabilem. Primum pro *commeatu* velim legere *commeatibus*, quam lectionem olim Oudendorpius et nuper Duebnerus probarunt. Deinde patet alterum utrum ex verbis *navigiis* et *navibus* ad sententiam sufficere; hoc mihi interpolationis suspicionem movet, quia *navigiis* modo praecessit. Sic lectio emendata sequitur: *Itaque expeditis navigiis locis idoneis ad Canopum in statione dispositis* [*navibus*] *insidiabantur nostris commeatibus.*

d. *Que* particula in membri exitu.

Demonstravi Caesarem perraro *que* voculam scribere in enuntiati exitu. Sed frequentissime eam in minoris membri exitu, imprimis ubi proximum membrum a pronomine relativo incipit aut ubi subiunctivus articulus coniunctione *ut* vel *ne* inductus protinus excipit, usurpat. Ex quinquaginta locis quos notavi in Bello Gallico, ubi *que* particula est in minoris membri exitu posita, quattuor et triginta locis articulus relativus sequitur, octo locis subiunctivus. In Bello Civili, cum hic verborum ordo parcius sit adhibitus, tamen eadem lex praevalet. Ex duodecim omnino locis, *que* octies ante relativum, semel ante *ut*, semel ante *ne* est positum. In hanc partem plurimum interest inter Caesaris commentarios et Bellum Africum, etenim ex decem omnino locis ubi *que* in articuli exitu

---

1) Praef. p. 193.

2) Recensio Kuebleri, Lips. 1896.

stat, tribus tantum locis relativum aut subiunctivum membrum excipit, et reliqui loci [1]) numero fere pares Bello Gallico multo maiorem neglegentiam diversitatemque sermonis ostendunt. Dignum est memoratu nec auctorem Belli Hispaniensis nec Hirtium, ni fallor, umquam ponere *que* in enuntiati aut articuli exitu.

e. *Que* particula in verborum quae in litteram ĕ desinunt exitu.

His annis utrum *que* vocibus in *e* breve exeuntibus adiungere liceat necne, a multis doctis plenius est disputatum. Quaeritur omnibusne his compositionibus boni scriptores abstinuerint an sola compositione *que* particulae cum infinitivo praesentis activi. In vetustis inscriptionibus Elmerus [3]) ostendit copulam *que* omnibus locis, quibus *e* brevi adiciatur, infinitivo activi generis adhaerere. Quam ob rem credit *e* finale huius terminationis antiquissimis linguae temporibus longum fuisse, cuius rei esse argumento quod apud Plautum tres [4]) eiusmodi loci inveniantur, apud Terentium unus solus. At mihi quidem non documentum longae quantitatis videtur, sed potius libertatis natura insitae *que* particulae, quae antiquitus, ut dictum est, sine discrimine in cuiusvis generis iuncturis adhibebatur. Atque Elmerus se ipsum confitetur nullum aliud in inscriptionibus exemplum scire, quo *que* *ĕ* finali adhaereat, quia ab initio longum fuerit, id quod erat demonstrandum, ut de infinitivo fieret credibile. Deinde inscriptiones, in quibus haec leguntur, plurimis annis post litterarum Latinarum primordia, antiquissima a. 632 u. c., duae novissi-

---

1) Af. 26. 5 : 36. 2 : 41. 3 : 47. 6 : 54. 1 ; 57. 6 : 93. 2.

2) Cf. Harant, Revue de Phil. IV. p. 25; Thomas, ibidem, 1884, p. 132; Dosson, ibidem, 1890, p. 55; Elmer, American Journal of Phil. VIII. p. 299.

3) p. 300.

4) Elmerus dicit quattuor, sed Poen. Prol. 3, quem locum adfert, rem non attingit.

mae a. 705 u. c., compositae sunt. Ut prisca ac nimis vetusta oratio monumentorum concedatur, tamen restat explicandum, si tam diu in eis *e* finale infinitivi praesentis activi longum permansit, cur nusquam tale apud Plautum nedum apud alium poetam appareat [1]). Huc accedit quod recentior investigatio docuit *que* saepius infinitivo praesentis activi applicari quam Elmerus et priores putarunt. Iam non solum illi suppeditant tres loci apud Plautum, unus apud Terentium, unus apud Catonem, verum etiam Varronis [2]), Ciceronis [2]), Livi [3]) libri eorumque qui de Bello Africo et Alexandrino scripserunt, tales compositiones ostendunt [4]). In orationibus quidem Ciceronis nullus locus apparet, sed in libris philosophicis, qui omnino maiorem dicendi licentiam prae se ferunt, non minus decem. Omnes autem hi auctores nimiam syllabarum correptarum frequentiam vitant, itaque rarissime hanc compositionem adhibent, nisi si infinitivus longam paenultimam habet. Inter omnia exempla diversi generis non invenio nisi duo: *fugereque* Plaut. Trin. 1034 et *constituereque* Cic. de fin. IV, 25.

Sed haec hactenus. Ex quibus facile conligi potest Caesarem omnino copulationem *que* particulae et infinitivi praesentis activi vitare. Item Hirtius et auctor Belli Hispaniensis fugiunt hanc commissuram, sed ceteri qui suppleverunt Caesariana duo exempla praebent; *transireque* A. 23. 1: *oppugnareque* Af. 51. 3.

Saepius quam activi coniunctio passivi infinitivi praesentis et particulae *que* invenitur, cuius exempla profero omnia quae apud Caesarem et in supplementis oc-

---

1) Cf. C. F. W. Müller, Plautinische Prosodie p. 23.

2) Cf. Merten p. 22.

3) H. J. Müller (Rh. Mus. 1888, p. 637) quattuor locos adfert e quibus unus infinitivum praesentis ostendit (*manēreque* Liv. 41, 23. 6).

4) Perperam Krebs-Schmalz antibarbarus dicit (II. p. 410) "in Prosa treffen wir nur ein Beispiel".

currunt: *tegi dissimularique*, I. 19. 2: *revocare hortarique*, 5. 6. 4: *superari delerique*, A. 27. 2: *possideri vastarique*, A. 34. 1: *pabulari frumentarique*, A. 61. 6: *dirui deserique*, Af. 26. 5.

Multo etiam frequentiores sunt aliae compositiones *que* voculae et in *ĕ* exeuntium praesertim nominum et adiectivorum. Tamen haec commissura saepius invenitur apud priscos et recentes quam apud melioris aetatis scriptores. Harantius dicit nullum adesse locum apud prosae scriptores Sallustium, Velleium, Curtium, Plinium Secundum, Florum Iustinianumque [1]), neque apud poetas Catullum, Vergilium, Ovidium, Phaedrum, Persium Iuvenalemque. Contra, ut pauca ac luculenta commemorem, apud Plautum undecim exempla, in Ciceronis orationibus, quod mireris, undecim, in omnibus eius operibus circiter quinquaginta, apud Lucretium viginti septem, apud Gellium quadraginta quattuor apparent [2]). Omnibus fere locis proximum verbum a vocali incipit, ut elisione nimia correptarum syllabarum frequentia deminui potuerit. Apud Caesarem pauca exempla habemus: *gratia dignitateque amplificata*, 6. 12. 6: *commodioreque itinere*, III. 97. 3: *ab omnibus legatis quaestoreque*, 5. 25. 5. Proximo loco lectio *quaestoreque* [codd. *quaestoribusque*] ex emendatione Ciacconi pendet, qui recte monet in singulis provinciis singulos fuisse quaestores; quam emendationem, plerique editores receperunt. Vielhaberus autem et Holderus verba *legatis quaestoribusque* uncis incluserunt.

In Bello Africo frequentia talium compositionum est tanta ut id unum libelli maxime proprium habeatur [3]): *civitateque carere*, 22. 2: *acerbitateque commemorare*, 26. 2: *desperationeque exercitus*, 32. 1: *necesseque haberet*,

---

1) Item perperam nominat orationes Ciceronis. Op. cit. p. 26.

2) Cf. Merten p. 22; Thomas, Rev. de Phil. 1884, p. 133; Dosson, Rev. de Phil. 1890, p. 56.

3) Cf. Müller, Zeitschr. f. d. Gymn., Wes. 1888, p. 668.

39. 2: *amplitúdineque*[1]) *caesa*, 40. 6: *ópereque*[1]) *faciendo*, 47. 2: *necessitateque coactus*, 55. 2: *celeritateque excesserat*, 73. 1: *cohorteque sua*, 76. 1. Nullum aliud opusculum, quod sciam, tam multos eiusmodi locos praebet, et non tantum frequentia est mira verum etiam quod ex decem locis tantum tribus proximum verbum a vocali incipit. Quinque locis littera *c* statim excipit particulam, quae res non sine ratione eidem studio binorum gutturalium sonorum attribuatur, quod supra[2]) observavimus, cum ageremus de particula ante relativum posita[3]).

Denique, ut hoc capitulum paucis comprehendam, contendo compositionem particulae *que* cum finali *ĕ* saepissime primis litterarum aetatibus esse usurpatam, priusquam Romanorum aures teretes et religiosae fierent, parcius a Caesare et Cicerone, post Ciceronis aetatem parcissime usque dum scriptores deterioris aetatis incuriosi rursus eam introducerent.

f. *Que* particulae vocibus plurium quam quattuor syllabarum adiunctio.

Draegerus[4]) recte monet *que* particulam vocibus quattuor aut plurium syllabarum non fere adici; tamen apud Caesarem multis locis non solum quinque syllabarum vocibus verum etiam sex adhaeret: e. g. *propinquitatibus affinitatibusque*, 2. 4. 4: *disputationibus excusationibusque*, I. 33. 3: *praemiis pollicitationibusque*, 3. 18. 2: *exitus administrationesque*, I. 25. 4: *pabulationes frumen-*

---

1) So Accent zu setzen, weil hier und im nächsten Beispiel ganz hart! Die andern haben alle daktylischen Rhythmus (Buecheler).

2) p. 36.

3) Praeterea iuvat attendere ad mensuram syllabarum numerosque vocabulorum ex compositione ortos: octies dactylicus fit exitus ut *necessitáteque*, bis paeonicus aut proceleusmaticus, *amplitúdineque* et *ópereque* (Buecheler).

4) II. p. 37.

tationesque, 7. 16. 3: multa alia. Supplementa quidem Caesaris hac re magnam inter se discrepantiam exhibent. Hirtius haec tantum exempla praebet: *calliditatisque*, 16. 3: *funditoribusque*, 40. 5: *depopulandosque*, 24. 4: *latrociniorumque*, 32. 11: *animadverteretque*, 33. 1; itemque auctor Belli Alexandrini pauca: *Cappadociaque*, 34. 2: *consuetudinemque*, 65. 1: *difficultatisque*, 60. 5: *coniunctissimumque*, 47. 3: *fidelissimique*, 43. 2; paucissima autem auctor Belli Hispaniensis, qui, cum alioqui liberrime vocibus minus quam quattuor syllabarum *que* adnectat, tamen non habet nisi duodecim exempla talis in quattuor syllabarum vocibus compositionis et duo in quinque [1]). Contra ea in Bello Africo tales commissurae maxime frequentantur: *exsultationemque*, 31. 10: *incolumitatemque*, 45. 2: *pollicitationibusque*, 35. 2: *adversariorumque*, 61. 6: et saepius, quod additum signum est proprietati orationis quae hunc libellum distinguit.

2. De particulae *que* substantiva coniungentis usu.

a. Binae notiones.

Ratio quae inter duo substantiva intercedat quadruplex est, nam aut contrariae inter se sunt res designatae, velut *aqua terraque*, III. 17. 3, aut similes cognataeque velut *comites familiaresque*, 6. 20. 31, aut diversae, ita tamen ut tertia notio cogitetur quae utramque comprehendat, velut *senatui populoque Romano*, I. 9. 5, aut prorsus dissitae. Quartum genus, in quo copula merae enumerationi inservit, tam alienum est proprio munere indoleque particulae huius, cui maxima devinciendi facultas est, ut exiguis sane finibus coerceatur, nam haec provincia, ut supra [2]) est demonstratum, *et* particulae evenit.

---

1) crudelissimumque, 15. 6 : adversariosque, 31. 7.

2) p. 7.

Atque tria reliqua genera, quae omnia quandam interiorem rationem sive similitudinis sive diversitatis continent, longe saepissime *que* accipiunt; quae genera cum plerasque substantivorum commissuras amplectantur, sequitur ut fere inter substantiva copulae locum teneat *que*[1]. Quod esse verum apud Caesarem quoque demonstratur numeris quos subiungo.

B. G. *et* 143: *atque* (*ac*) 174: *que* 234.
B. C. *et* 100: *atque* (*ac*) 114: *que* 182.

Itemque supplementa Caesariana similem voculae *que* frequentiam ostendunt, nisi quod auctor Belli Hispaniensis, qui minimam in coniungendis verbis sollertiam exhibeat, maximam partem *et* particula utitur.

Hirt. *et* 27: *atque* (*ac*) 20: *que* 35.
A. *et* 48: *atque* (*ac*) 47: *que* 70.
Af. *et* 59: *atque* (*ac*) 19: *que* 157.
H. *et* 37: *atque* (*ac*) 2: *que* 21.

Saepissime substantiva, quae per *que* coniunguntur, significatione opponuntur ita ut alterum, quod alteri desit, suppleat et utrumque in notionem generalem confluat. Ne multa dicam, pauca ex infinito paene exemplorum numero in conspectu pono: *vitae necisque*, 1. 16. 5: *pueri mulieresque*, 2. 13. 3: *iura legesque*, 7. 76. 1: *oppida vicosque*, 1. 28. 2: *patribus maioribusque*, 1. 13. 6: *fratres consanguineosque*, 1. 33. 2: *peditatus equitatusque*, 5. 47. 5: *navės legionesque*, III. 17. 3: *terra marique*, A. 44. 5.

Non tam saepe sunt substantiva re vera synonyma per *que* coniuncta; talia enim non ad unum totumque conliguntur, sed potius eandem notionem repetunt, quo vis orationis augeatur. Tum potius particula *atque* (*ac*) legitimo munere fungitur et longe ceteras superat. Tamen pauca exempla in medium profero: *mentes animosque*, 1. 39. 1 (*mente atque animo*, I. 21. 6): *alacritas*

---

1) Cf. Reisig III. § 233; Geisler, Über *que*, Phil. 10, p. 99.

studiumque, 1. 46. 4 (*alacritate ac studio*, 4. 24. 4): *precibus votisque*, A. 15. 8: *mentem consiliumque*, A. 18. 2: *morem consuetudinemque*, A. 65. 1: Af. 3. 4: *inimicis adversariisque*, Af. 32. 4.

b. Ternae vel plures notiones.

Post tres vel plures notiones dissolute positas ultima per *que* saepe additur. Quo in usu *et*[1]) raro, *atque* rarissime, sed *que* saepissime omnibus Latinitatis aetatibus invenitur:

rapinis, ferro flammaque, A. 60. 1 : *Caesaris legati, amici, centuriones militesque*, A. 24. 6 : *Cum liberis coniugibus, civibus cunctaque gaza regia*, Af. 91. 2 : *Caecinae, C. Ateio, P. Atrio, L. Cellae patri et filio, M. Eppio, M. Aquinio, Catonis filio Damasippique liberis*, Af. 89. 4. Caesar ita coniungit quattuor membra 5. 47. 2 : 7. 7. 4 : I. 5. 3 : III. 4. 2 : quinque III. 19. 7 : 7. 84. 1 : III. 96. 1 : sex III. 5. 1 : novem 7. 4. 6. Mirabile dictu, nec Hirtius nec auctor Belli Hispaniensis hoc dicendi genus adhibet.

Propria conligendi et complectendi vis huius particulae tum imprimis elucet, cum compluribus rebus memoratis conligit et complectitur quae nondum sint dictae voce generalis significationis, ita ut verbis *relicus*, *ceteri*, *omnis*, *totus* similibus adiungatur. *Remorum ac Lingonum reliquarumque civitatum*, Hirt. 11. 2 : *legio* XXX *et* XXI *et cohortes* IV *ex* V *legione totusque . . . equitatus*, A. 57. 3 : *scorpionum, catapultarum ceterorumque telorum copiam*, Af. 31. 7 : *a tribunis militum praefectis reliquisque*, 1. 39. 2.

---

1) Cf. p. 11.

3. De particulae *que* adiectiva coniungentis usu.

Facile intellegi potest *que* secundum eandem legem, quam in substantivorum compositione observavimus, praeferri ceteris particulis ad adiectiva coniungenda, cum contrariae notiones inter se opponantur. Tantum apud Caesarem haec lex valet, ut in eiusmodi commissuris *et* nusquam, *ac* raro locum habeat: e. g. *diurnis nocturnisque,* 7. 56. 3 : III. 13. 1 : *publicis privatisque,* 6. 13. 5: [*publica ac privata,* 6. 3. 4]: *divina humanaque,* I. 6. 8 : [*dextra ac sinistra,* II. 15. 3]. Item apud supplementorum scriptores: *secundis minimisque rebus,* Hirt. 13. 4: *publicis privatisque,* H. 42. 2 : *dextro sinistroque*, Af. 13. 2: [*dextrum ac sinistrum cornu,* Af. 13. 1]. Porro autem adiectiva adfinitatem cognationemque inter se habentia, perinde atque substantiva, *que* particulae favent, cuius usus notissimi adferre exempla non necesse est.

4. De particulae *que* cum pronominibus usu.

Frequentissime apud omnes scriptores particula *que* pronominum coniunctioni et adiunctioni inservit. Ut pauca dicam, ex septuaginta tribus locis ubi *que* usurpatur in Varronis libro De Re Rustica, triginta sunt copulationes eiusmodi [1]). Itemque apud Ciceronem *que* ceteras particulas longe superat. Non aliter apud Caesarem et Pseudo-Caesarianos. Atque quo facilius indicia congesta in comparationem vocemus, mihi commodissimum videtur in hac commentationis parte simul de ceteris particulis copulativis disceptare. Incipiam a pronominibus personalibus.

---

1) Cf. Merten p. 31.

a. Personalia.

Usitatissima est pronominis personalis cum *que* compago, adeo ut si dixerim hanc ceteris particulis quater praevalere, a vero me recessisse non putem; idque esse verum imprimis comperitur ubi pronomen personale excipitur possessivo eiusdem personae: tum numquam [1]) fere inter haec vocula alia intercedit. Nec hoc mirum est, cum duae tales notiones per genuinam particulae vim facile in unam atque integram confundantur. Solum cum pronomen stat, *et* aut *atque* (*ac*) haud raro occurrit. Omnium generum pauca exempla subiungo.

a) Personale sine Possessivo.

et sibi, A. 65. 4. *et tibi*, Af. 42. 1. *seque*, Hirt. 48. 24 : A. 13. 4 : 17. 6 : 18. 3 : 32. 3 : Af. 93. 3 : 28. 3 : 33. 1 : 82. 3 : Caes. 1. 21. 1 : 46. 2. *atque se*, Af. 37. 2. *ac se*, Af. 34. 2 : 90. 3.

b) Personale et Possessivum.

se .. suosque, Hirt. 47. 2 : *sibi .. suisque*, Af. 25. 5 : 93. 3 : *vos .. vestrumque*, Caes. II. 32. 2 : *se .. suaque*, 1. 11. 2 : 2. 3. 2 : 13. 2 : 15. 2 (multa alia): *se .. suosque*, Af. 32. 4 : Caes. 2. 28. 3 : 5. 3. 3 : *se .. suorumque*, 5. 7. 8 : *se .. suisque*, 1. 46. 2. Raro *sua .. seque*, 3. 12. 3 : 4. 18. 4. Denique dignum memoratu est *atque* numquam, ni fallor, apud Caesarem legi ante *sui, sibi, se, suus*; unus eius modi locus in supplementis exstat, quem modo attuli. Item *ac*, quamvis conlocari ante litteram *s* soleat, tamen ab illa copulatione abhorret, ita ut, praeter duos in Bello Africo locos modo adlatos, tantum hi apud Caesarem eumque solum appareant: *ac sibi*, 7. 50. 4 : *ac se*, 4. 21. 9 : 5. 7. 8 : 8. 6 : 18. 5 : I. 52. 3 : III. 15. 6 : *ac sui recipiendi*, 3. 4. 4 : *ac suae*, 2. 31. 5 : *suis ac suorum*, III. 35. 2 : *ac suis*, 7. 50. 6 : III. 60. 5 : *ac suos*, 4, 30. 2 : *ac suas*, I. 40. 7.

---

2) Unicus locus: *seque et sua omnia et oppidum*, Af. 93. 3.

b. Possessiva.

Possessiva apud hos scriptores nullo personali praecedente per *que* fere, saepe per *et*, numquam per *atque* (*ac*) adiunguntur: *nostrosque*, 1. 26. 3 : *suisque*, 1. 46. 2 : *meaeque*, Af. 54. 2 : *nostrosque*, A. 20. 4 : *nostrisque*, H. 26. 4 : 32. 1 : *nostrique*, Hirt 12. 7 : *suaque*, A. 58. 1 : *suisque*, A. 47. 1 : *suasque*, Af. 39. 2 : *suamque*, Af. 41. 3 : *suisque*, Af. 59. 5 : multa alia. *et mea et vestra*, II. 32. 10 : *et nostrum*, 1. 15. 5 : *et nostras*, A. 3. 1 : *et suos*, 83. 2.

c. Demonstrativa.

Demonstrativa suam quodque legem secuntur. *Hic atque* particulae favet: *atque huius*, 1. 18. 2 : *atque hoc*, 7. 81. 1 : *atque his*, 5. 15. 4, multa alia : *atque haec*, A. 3. 2 : Af. 31. 8 : *atque hos*, A. 17. 5 : at *et his*, 1. 21. 2 : *et his*, Af. 1. 43 : *et hanc*, H. 17. 1. Caesar unus uno loco habet *hisque* (6. 23. 9), si tamen ita scripsit ipse, nam insolentia huius compaginis commendari magis puto *isque* (*eisque*), quod librarii perpetuo cum illo solent permutare. Eidemque legi *ipse* paret: *atque ipse*, 1. 28. 15 : 2. 10. 4 : 7. 18. 1 : 7. 32. 4 (bis) : Af. 26. 4 : 57. 5 : 65. 3 : sed etiam *et ipsi*, 4. 3. 3 : *et ipso*, A. 50. 3 : *et ipsa*, A. 61. 3.

Pronominis *iste* post copulam positi nullum apud hos auctores exemplum exstat.

Ille item *atque* particulam amat. Interdum *et* praecedit, numquam *que* adsumit : *se atque illos*, 4. 1. 5 : *suum atque illius familiarem*, III. 57. 1 : *atque illum*, 6. 8. 4 : *atque illos*, 4. 1. 4 : *atque ille*, Af. 22. 4 : sed etiam *et ille*, II. 32. 2 : III. 92. 2, quae commissura in supplementis non est inventa.

Longe maxime numerosum est pronomen *is*, quod, etsi *que* amat, tamen cum ceteris quoque particulis non numquam committitur. Inspicias velim hos numeros : in libro primo Belli Gallici inveniuntur *isque*, 9, *et is* 5, *atque is* 5 : apud Hirtium *isque* 1, *et is* 1, *atque is* 3 : in Bello Alexandrino *isque* 8, *et is* 3, *atque is* 1 : in Bello

Africo *isque* 18, *et is* 8, *atque is* 10: in Bello Hispaniens *isque* 3, *et is* 3, *atque is* 0. Frequentissime tum *is* particulae *que* praeponitur, cum scriptor[1]) in rerum continuarum narratione novum enuntiatum adserere vult: cuius generis sunt, *Dumnorigi Haeduo ... ut idem conaretur persuadet, eique filiam suam in matrimonium dat*, 1. 3. 5. *Ex eo proelio circiter hominum milia* cxxx *superfuerunt, eaque tota nocte continenter ierunt*, 1. 26. 5. *Tamen regis copiis occurrit ... eumque ad se . . recepit*, A. 28. 2.

cum pedites . . venissent, idque in proelio animadversum esset, H. 15, 2.

Pronomini *idem* copula *atque* vel *que* saepe, raro *et* adicitur: *atque eisdem*, I. 8. 4: *atque eadem*, I. 40. 2: *atque eiusdem*, II. 12. 4: *atque eadem*, Af. 69. 4: sed etiam *eodemque*, A. 19. 5: *idemque*, Af. 22. 2: sim. 28. 21: 39. 2: 60. 4: 91. 2: H. *idemque*, 13. 3: sim. 20. 4: 16. 4: 18. 3. Quo studio auctores Belli Africi et Belli Hispaniensis tenentur componendi *idem* cum *que*, eodem etiam Cicero, apud quem secundum Mertinum[2]) omnium saepissime pronominibus *is* et *idem* adhaeret *que*.

Unde est manifestum demonstrativa favere fere particulae *atque*, nimirum sua indole quandam vim et pondus habentia postulant sibi similis naturae copulam. Eademque causa *is*, demonstrativum minima vi, plerumque aliam copulativam particulam praefert.

d. Relativa.

Cum pronomine relativo saepe copulatur *que*, praecipue cum pronomen repetitur. Cum non repetitur, fieri potest ut compositio ambigua sit, tamen optimi scriptores[3])

---

1) Ut Plautus (Ballas I. p. 23), Varro (Merten p. 40), Tacitus (Spitta p. 29).

2) p. 31.

3) Cf. Seneca (Klammer p. 40), Cicero (Merten p. 31).

compositiones *quaeque*, *quique*, *quodque*, alias tales non fugerunt. Nusquam autem, quod sciam, *cuique* (*cui* et *que*) exstat. Exempla pauca subiungo et primum in quibus relativum repetitur.

a) Relativum repetitur.

Ibi crebris litteris Canini fit certior, quae de Drappete et Lucterio gesta essent, quoque in consilio permanerent oppidani, Hirt. 39. 2. *Post hunc ordinem reliquas naves subsidio distribuit, quae quamque earum sequatur et cui subveniat constituit*, A. 14. 2. *Quibus illi agros dederunt, quosque postea in parem .. condicionem .. receperunt*, 1. 28. 5.

b) Relativum non repetitur.

quaeque partes urbis inferiores erant, has . . . munierant, A. 2. 4.

Ab eisdem nostra consilia quaeque in castris gerantur hostibus enuntiari, 1. 17. 5. *Mulieres quique per aetatem ad pugnam inutiles viderentur*, 2. 16. 5. Passim exstant huiuscemodi sententiae: *Fabius centurio quique*, cett. 7. 50. 3: *Scipio quique cum eo essent*, Af. 35. 1 : 57. 1 : 86. 2. Quibus omnibus locis genuina vis copulae facile discernitur.

Ante pronomina a litteris *qu* incipientia *atque* (*ac*) nusquam [1]), apud hos quidem auctores, apparet, et raro *et*, excepto Bello Africo, ubi totiens adhibetur, ut proprietas huius auctoris appellari mereatur. Quamquam ante *quod* apud omnes tantum *et* apparet.

5. De particulae *que* cum coniunctionibus usu.

Interdum coniunctionibus quoque vocula *que* adhaeret, sed longe rarius quam pronominibus, sine dubio quod enuntiata, quae a coniunctionibus incipiant, plerum-

---

1) Cf. p. 55.

que minus arta propinquitate adstringuntur. Itaque fit ut coniunctionibus *cum* et *quod* exceptis omnes fere eiusmodi voces semper per *et* adiungantur. Coniunctioni *quod* saepe *que* se applicat; si illa repetitur; qualia sunt: *quod sua victoria tam insolenter gloriarentur, quodque tam diu,* cett. 1. 14. 4 : sim. 5. 27. 2 : III. 43. 2 : 61. 1 : A. 35. 2 : Af. 54. 4 : 88. 5. Atque loci qui *et* ostendunt paene pares sunt numero: *quod omnino biduum supererat cum exercitui frumentum metiri oportebat, et quod,* cett. 1. 23. 1 : sim. 1. 44. 6 : 2. 20. 3 : 7. 14. 3 : A, 35. 3 : Af. 64. 2 : (*et quod . . . et quod,* 5. 9. 8 : *propter . . et quod . . quodque,* Af. 88. 5). Itemque coniunctio *cum* interdum repetitur. Tum aut per *que* aut per *et* adiungitur, per hoc saepius. Cuius usus Caesar quidem nulla exempla praebet, sed ex supplementis deprompsi haec: *Caesar cum videret . . . . cumque animum adverteret,* cett. A. 31. 1 : sim. 68. 1. *Cum utrimque exspectatio fieret . . et cum,* cett. Af. 14. 1 : sim. H. 18. 1 : 36. 4. Singulae coniunctiones ita adiunguntur: *et* semper usurpatur ad has[1]): *ne, nisi, postquam, quia, quoad, quoniam; et* vel *que*[2]) ad *cum* et *quod; et* vel *ac*[3]) ad *si, priusquam, tametsi.*

Nec silentio praetereundum est apud hos auctores nusquam ante coniunctionem poni *atque.*

---

1) *et ne* I. 41. 4 : III. 29. 1. *et nisi* III. 101. 3. *et postquam* Af. 38. 2. *et quia* H. 9. 1. *et quoad* I. 58. 1. *et quoniam* Hirt 52. 4.

2) *et cum* Hirt. 10. 1 : A. 42. 3 : Af. 13. 1 : 28. 2 : 68. 3 : H. 9. 3. *cumque* III. 101. 6 : A. 10. 2.

3) *et si* 1. 14. 6 : Af. 51. 3 : H. 22. 7 : 31. 9. *ac si* 3. 12. 3 : 4. 37. 1 : I. 24. 6 : III. 1. 5 : 72. 4 : H. 13. 5. *et priusquam* 6. 3. 2 : II. 14. 2 : 26. 4. *ac priusquam* 5. 56. 5. *et tametsi* III. 67. 4. *ac tametsi* 7. 50. 2 : I. 26. 2 : A. 12. 3.

6. Particula *que* et figura anaphora quae appellatur.

Si quae vox in altero enuntiato aut parte enuntiati est repetita ex priore, figuram orationis habemus quae fere anaphora appellatur. Quotiens *que* adiciatur adverbiis, pronominibus, coniunctionibus repetitis, paulo ante demonstratum est. Verum alia quoque verba repetita plerumque per eandem copulam adnectuntur, quod idem fieri apud alios scriptores multi docti[1]) declaraverunt. Eiusdem generis sunt haec ex Caesaris commentariis exempla:

Non sine magna spe magnisque praemiis, cett. 1. 44. 2. *quo magno cum periculo magnisque cum portoriis,* cett. 2. 1. 2 : *qui . . . unum imperium unumque magistratum cum ipsis habeant,* 2. 3. 5 : *quod tantas tempestates Oceani tantosque impetus ventorum sustineri,* 3. 13. 6.

7. *Que* explicativum.

Per hanc quoque particulam adiciuntur voces vel enuntiata, quae nihil novi designantes priores voces vel enuntiata explicent. In eiusmodi commissuris alterum membrum prius non solum repetit, verum saepe etiam amplificat et dilatat. Interdum membra versa vice ponuntur et generalis notio speciali praecedit, e. g. *urbe foroque,* Cic. Verr. I. 58: *de caelo stellisque,* Cic. de Or. I. 69. Quae cum ita sint, non hercle intellego quid Reisigius[2]) velit dicens: „Da nun das *que* überall einen vermehrenden Sinn in sich schliesst, so folgt daraus, dass in der Kopulation nicht Dinge verbunden werden können, wovon das zweite schon in dem ersten enthalten ist".

---

1) Apud Plautum (Ballas II. p. 7), Catonem, Varronem, Ciceronem (Merten p. 36), Senecam (Klammer p. 61).

2) Cf. Reisig III. p. 197.

Epexegesis per particulam *que* apud omnes fere scriptores frequentatur. Pauca exempla praebeo, et primum enuntiatorum explicativorum: *Ab eisdem consilia quaeque in castris gerantur hostibus enuntiari*, 1. 17. 5: *vineas agere quaeque ad oppugnandum usui erant comparare coepit*, 2. 12. 3 : sim. 4. 27. 1 : 5. 45. 3 : 7. 50. 3 : 7. 81. 2. Voces explicativae per *que* adduntur: *magistratus principesque*, II. 19. 1: *duces principesque*, 5. 41. 1 : *omnis Italia populusque Romanus*, III. 12. 2 : *incommodum naturae difficultatesque hiemis*, A. 44. 1.

8. *Que* adversativum.

Atque in ea re particula *que* cum *et* et *atque* congruit, quod cum vi adversativa infertur, idque imprimis post enuntiatum negativum [2]). Cuius usus plurima exempla sunt et apud alios scriptores et apud Caesarem. Elmerus in inscriptionibus *et* usitatissimum esse, *que* semel [3]) tantum inveniri docet. Porro Cato et Terentius paene semper *et* adnectunt, sed apud plerosque *que* haud rarum est, saepe etiam ceteras particulas superat, ut facile intellegitur, propterea quod in enuntiatis non minus quam in vocibus *que* contrariis notionibus coniungendis est idoneum. Sed de hac re plura satisque alibi [5]) disputavi.

---

1) Cf. Elmer p. 308; Ballas I p. 22; Merten p. 38; Klammer p. 19; Spitta p. 38. Perperam Draegerus (II. p. 42) apud Ciceronem hunc usum negat exstare.

2) Nägelsbach, Stil. § 193, 1. b.

3) C. I. L. 205, XIX. 2.

4) Cf. Elmer p. 309.

5) v. p. 22.

VI. ATQVE (AC).

Particula *atque* est conflata non ex adversativa particula *at* et *que*, ut Reisigius[1]) voluit, sed ex praepositione *ad* et *que*, quod Handius[2]) quoque recte, mea quidem sententia, contendit. *Ad*, quae prior particulae pars est, indicat *praeterea*, *insuper* aliquid accedere, idque cum priore componi ex aequo. Vis igitur primitiva voculae *atque* est *et praeterea* vel *et insuper*, et per eam duae res non tantum opponuntur sed in aequo ponuntur. Qua re numquam *atque* rem minoris momenti adiungit[3]). Porro grandior quidam pleniorque sonus in causa esse videtur, cur id membrum, quod adiungat, magis extollat. Denique in universum dici potest tum *atque* usurpari, si utraque notio eiusdem ponderis sit aut altera gravior. Atque per hanc particulam orationem ex aequo progredi, aut ascendere, satis in praecedentibus, ubi nonnullos eius usus exposui, est demonstratum[4]).

1. De particulae *atque* (*ac*) conlocatione.

Notum est praeter *atque* Romanos altera forma usos esse *ac*, quae ab illa eo differret, quod numquam vocali aut litterae *h* anteponeretur. Cui legi Caesar quoque et scriptores supplementorum se applicant. Omnia cetera, quae ad conlocationem attineant, Draegerus[5]) levia inutiliaque esse dicit, hoc solo excepto quod Plautus *ac* non ponat ante *q*. Tamen equidem puto fieri posse ut ultra eamus et vincamus aliquid novi. Nam animad-

1) Schol. lat. p. 414.

2) Cf. Handius, *atque*, *ac* I. pp. 452—513.

3) Cf. Reisig III. p. 203.

4) Cf. p. 13 *atque* cum adiectivis; p. 15 *atque* cum adverbiis; p. 22 *atque* adversativum; p. 44 *atque* cum pronominibus.

5) Cf. Draeger II. p. 46.

vertas velim hanc tabulam, quae ostendit quam aegre molesteque *ac* non solum cum *q* sed etiam cum ceteris litteris gutturalibus conligetur.

Plautus[1])	anteponit	*ac*	ante *c*. 2,	ante *g*. 1,	ante *q*. —
Lucilius[2])	„	„	„ *c*. 2,	„ *g*. —,	„ *q*. —
Caesar	„	„	„ *c*. 6,	„ *g*. 1.	„ *q*. —
Hirtius	„	„	„ *c*. —,	„ *g*. —,	„ *q*. —
Auctor B. Alex.	„	„	„ *c*. —,	„ *g*. —,	„ *q*. —
Auctor B. Afr.	„	„	„ *c*. —,	„ *g*. —,	„ *q*. —
Cicero[3])	„	„	„ *c*. 12,	„ *g*. 4,	„ *q*. 2.
Sallustius	„	„	„ *c*. —,	„ *g*. —,	„ *q*. —
Seneca[4]	„	„	„ *c*. 1,	„ *g*. —,	„ *q*. 1.
Tacitus[5])	„	„	„ *c*. 2,	„ *g*. 1,	„ *q*. —

Unde non dubito contendere Romanos fugisse particulae *ac* cum ante *q* conlocationem, tum pariter ante *g* et paene pariter ante *c*. Cicero solus scriptorum supra adlatorum minus huic legi parere videtur, tamen considerandum est opera Ciceronis exstantia multa copiosiora pluraque esse quam aliorum, quam ob rem non puto pro rata portione eum huius legis neglegentiorem fuisse.

Ne reliquis quidem consonantibus haec particula aeque favet, velut iam Zumptius observavit *ac* propensum esse ad liquidas[6]). Sed hic quoque diligentiore indagatione opus est, ob eamque subiungo tabulam in qua litterae ita disponuntur ut ea, cui saepissime *ac* se adiunxerit, primum locum teneat. Etiam numeros intra uncos positos ex quibusdam auctoribus, quos ego perlustravi, adtuli.

Plautus, p. m. s. d. f. v. t. n. l. b. r. i. (cons.).

Varro, p. s. m. f.

---

1) Cf. Ballas I. p. 28.

2) Cf. Ed. Müller p. 44, p. 142. 80.

3) Cf. Merten p. 43.

4) Cf. Klammer p. 3.

5) Cf. Spitta p. 40.

6) Ad Ciceronis in Caecilium Divinationem 20. 67.

Sallustius, s. (25), p. (24), m. (20), d. (12), n. (7), t. (5), f. (4), b. v. l. r. (2).

Caesar, p. (60), s. (59), t. (39), n. (24), l. (23), d. (22), m. (19), r. (18), f. (17), v. (9), b. (6), i. (4).

Hirtius, p. (5), s. (4), v. (3), t. (2), d. f. i. l. m. n. (1).

Auctor B. Alex., d. (11), p. (8), m. (7), f. (4), t. (4), n. (3), s. (3), v. (1).

Pseudo-Cornificius, semper s. l.

Seneca, s. p. d. m. l. v. f. r. t. n. b. i.

Licet negari non possit variam hanc frequentiam pendere quodam modo ex maiore vel minore copia eorum verborum quae a singulis litteris incipiant, tamen ex his indiculis apparet, praeferri litteras alias alias vitari, ideoque aliam causam esse conquirendam. Neque dubium est quin tales conligationes praeferantur quae gratum sonum efficiant. Ordine litterarum inspecto videmus apud omnes hos particulam maxime ad *p*, tum ad *s* propensam esse, porro liquidis non omnibus ex aequo favere sed imprimis *m*, tum *n*. Quamquam fieri potest ut latiore ac plurium scriptorum indagatione aliquantulum hoc eventum mutetur. Summatim tamen dico: *ac* non antecedit vocales nec litteras *h* et *q*, perraro *g*, raro *c*. Saepissime exstat ante *p*, *s*, et liquidas *m*, *n*. Obiter addo, quod ex tabula conligitur, aliquando *ac* sedem habere posse ante *i* consonantem: quinquiens *ac iam*: 3. 3. 2 : 9. 6 : 15. 3 : III. 87. 7 : Hirt. 12. 1 : semel *ac iumenta*, Af. 69. 5.

Atque Mertenus[1]) docet oratorum veterum reliquias et fabulas plautinas promiscue ante vocales et consonantes positum habere; sed posteriores scriptores magis magisque circumscribunt hanc libertatem, atque ita ut Tacitus[2]), quem unum adtulisse satis erit, praeter eos locos quibus necessarium sit, id raro usurpet. Apud Caesarem *atque* vocalibus anteponitur locis 758, si recte

---

1) Cf. p. 41.
2) Cf. Spitta p. 39.

computavi, consonantibus 29; *ac* consonantibus 307, quae res in eandem partem tendit.

Non minus quam *ac* fugit *atque* gutturalium concursum. Tamen legimus *atque cratibus*, I. 40. 4 : *atque contexerant*, II. 4. 2 : *atque Caesaris*, III. 19. 1. Itemque in supplementis *atque celeriter*, Hirt. p. 6 : *atque castrorum*, Af. 21. 3 : 28. 1 : *atque castra*, 26. 6 : *atque celeriter*, 69. 2. Nusquam apud hos scriptores est *atque* ante *g* aut *q* positum.

2. Per *atque* (*ac*) similes notiones coniunguntur.

Similes cognataeque notiones haud raro per *atque* (*ac*) copulantur, quo magis pondus orationis augeatur. Hic usus convenit ad particulae naturam[1]) et apud omnes scriptores invenitur; multa igitur exempla proferre supervacaneum est. Pauca addo: *custodiam ac praesidium*, 2. 29. 4 : *hunc viarum atque itinerum ducem*, 6. 17. 1 : *Minervam operum atque artificiorum initia tradere*, 6. 17. 2 : *infamia atque indignitas*, 7. 56. 2 : *mente atque animo*, I. 21. 6 : *iussu atque imperio*, III. 22. 1 : *dicione atque imperio*, 1. 31. 7 : *bello ac dissensionibus*, A. 42. 2: *clementia atque humanitate*, A. 68. 1 : *laetitia ac voluptate*, Af. 34. 6 : *metu ac terrore*, Af. 86. 2.

3. Per *atque* (*ac*) contrariae notiones coniunguntur.

Mireris contrarias quoque notiones per hanc eandem particulam copulari. At enim quod alteri opponitur, id fere fortius graviusque adfirmari solet. Huius generis, cum alibi[2]) substantiva sint adlata, hic tantum adiectiva pauca subiungo: *publica ac privata*, 6. 3. 4 : *privata ac publica*, II. 18. 2 : *dextra ac sinistra*, II. 15. 3.

---

1) Cf. p. 42.
2) Cf. p. 9.

4. Per *atque* (*ac*) notio generalis speciali additur et vice versa.

Per *atque* (*ac*) generalis notio speciali adiungitur, praesertim si gradatio quaedam efficitur, alioqui *et*[1]) vel *que*[2]) praestat. Exempla: *in conspectu Caesaris atque omnis exercitus*, 3. 14. 8 : *ad legatos atque exercitum*, II. 11. 4 : *auctoritate sua atque exercitus*, 1. 31. 16 : *Labieno atque eis legionibus*, 7. 56. 2 : *Cottae atque eorum qui dissentiunt consilium*, 5. 29. 7 : *domi atque in reliqua Gallia*, 1. 20. 2 : *portum ac mare totum*, III. 111 : plurima alia.

Minus saepe generalis notio praecedit: *deleto exercitu atque imperatore*, 6. 37. 7 : *Aegypto atque Alexandria*, A. 33. 1.

5. Quomodo verba componantur.

Restat ut de verborum conligatione disputem, et, cum hoc argumentum adhuc non tetigerim, de omnibus simul particulis sub hoc titulo disseram. Universe adfirmari potest magnam partem verborum ita coniunctorum cognatae esse significationis et inter talia quamvis copulam admitti. Contrariae significationis verborum coniunctorum apud Caesarem paucissima exempla adsunt, ut: *Sic et ad subeundum periculum et ad vitandum multum fortuna valuit*, 6. 30. 4 : *expetita conloquia et denegata commemorat*, I. 32. 6 : *ad defendendos ictus ac repellendos*, II. 9. 3; Neque in supplementis sunt multa, tantum *acceptis et redditis* (H. 22. 3) et *occurrere et refugere* (Af. 69. 4) inveni.

Nunc singula pertractemus initio capto a verbo finitivo indicativo et subiunctivo, adiuncturi imperativum, infinitivum, participium, gerundium gerundivumque.

---

1) Cf. p. 12. 2) Cf. p. 50.

1. Verbum finitum.

a) Genus activum.

Ad talia componenda Caesar saepissime *atque* (*ac*), minus saepe *et*, *que* usurpat. Hirtius autem solis voculis *atque*, *que* utitur, numquam *et*, itemque in Bello Alexandrino et in Bello Africo eaedem particulae tanto praevalent ut *et* in utroque [1]) nisi bis non inveniatur. Bellum Hispaniense nihil nisi *et* habet.

b) Genus passivum.

Ad passiva conliganda Caesar plerumque *atque*, raro *et* adhibet, *que* omnino non adhibet exceptis formis quasi-periphrasticis, quae participio perfecto sunt compositae. Hirtius nihil aliud nisi *atque* adhibet. In Bello Alexandrino soli tres loci [2]) apparent atque hi *que*, *et* praebent. In Bello Africo omnes particulae sine discrimine usurpantur. Bellum Hispaniense, sic supra in activo genere vidimus, semper *et* ostendit.

Ringius [3]) recte monet Caesarem tum maxime *que*, *atque* (*ac*) adhibere, spernere *et*, cum alterum verbum articulus subordinativus vel accusativus cum infinitivo excipiat, cuius generis plurimos cumulavit locos ex quibus tantum duo [4]) particulam *et* habent. Idemque testatur Hirtius, apud quem nullum eius modi exemplum apparet. Contra ea in Bello Alexandrino, etsi *que*, *atque* (*ac*) frequentiora sunt, *et* tamen libere usurpatur. Porro in Bello Africo *atque* nullo loco adhibetur, *et* vero particulam *que* superat. Auctor Belli Hispaniensis uno loco [5]) *que* ponit, omnibus aliis *et*. In commissuris finitivorum verborum Caesar tantum praesenti et perfecto temporibus *que* particulam adiungit, exceptis tribus locis: *hortareturque*, III.

---

1) A. 42. 2 : 78. 1 : Af. 6. 1 : 67. 1.
2) A. 1. 3 : 36. 5 : 40. 2.
3) Op. cit. p. 15. 4) I. 11. 5 : I. 64. 3. 5) 19. 3.

112. 11 : *doceretur que*, 7. 33. 3 : *exspectabatque*, I. 5. 5, nec dubium est quin optimi scriptores has compositiones pro sua parte fugerint. Hirtius tamen scribit, *animadverteretque*, 33. 1 : *indicaretque*, 46. 1. Item in Bello Alexandrino legimus *videretque*, 73. 1: in Bello Africo, *tenebaturque*, 51. 2: *verebaturque*, 58. 4: *comminarenturque*, 71. 2: *fugarentque*, 6. 3: *intellexissetque*, 39. 2.

2. Modus imperativus.

Caesar coniungit binos imperativos per *et*, *que*, *atque*, sine discrimine[1]); supplementa praebent exempla nulla.

3. Modus infinitivus.

Saepissime inter duos infinitivos interponit Caesar *et*, minus saepe *atque* (*ac*). Quod vitat compositionem particulae *que* cum infinitivo activi praesentis, iam satis copiose exsecutus sum[2]). Perraro item adicit *que* infinitivo praesenti passivi generis, duo his exemplis: *tegi dissimularique* I. 19. 2: *revocare hortarique* 5. 6. 4. Quam commissuram Mertenus[3]) dicit haud raro apud Ciceronem inveniri. Semel Caesar *ac* ponit inter infinitivos activos perfecti temporis: *expulisse ac superasse* III. 73. 5.

Hirtius inter infinitivos continuos semper ponit *atque (ac)*, praeter unum locum *concitare et gerere* (22. 2). Infinitivorum membrorum per *que* compositorum sunt exempla haec: *excedere proelio silvasque petere* 19. 8: *advolasse proeliumque commisisse* 36. 3.

Frequentia et proprietas compositionum huius generis in Bello Alexandrino digna est memoratu, de qua re iam alio loco[4]) coeperam dicere. Hic omnes particulae usurpantur, et, quod maxime mirum est, *que* longe ceteras superat[5]). Item in Bello Africo commissurae duorum in-

---

1) Cf. *et* III. 91. 1 : 94. 6; *que* 7. 50. 5 : III. 64. 3; *atque* 6. 8. 4.
2) v. p. 37. 3) Cf. p. 33. 4) Cf. p. 38.
5) Numeri sunt: *et* 4, *que* 13, *atque* (*ac*) 4.

finitivorum frequentes sunt, sedecim locis *et* usurpatur, octo *que*, tredecim *atque (ac)*, sed dissimile Belli Alexandrini est quod *que* raro infinitivo adiungitur, his tantum: *dirui deserique* 26. 5: *oppugnareque* 51. 5. Nullo loco in Bello Hispaniensi sunt duo infinitivi nullis verbis interpositis coniuncti [1]).

4. Participia.

Ad componenda participia praesentia Caesar utitur semper fere particula *et*, semel *ac* [2]), numquam *que*. Neque in supplementis *que* adiungitur, Hirtio excepto qui uno solo loco habet *errans latitansque* [3]). Pro *que* in supplementis, ut apud Caesarem, *et* vel *atque (ac)* usurpatur.

Ad componenda participia perfecta Caesar utitur particulis *et*, *que*, *atque (ac)* sine discrimine, eodemque modo auctor Belli Alexandrini. Hirtius [4]) et auctor [5]) Belli Africi *que* praeoptarunt. In Bello Hispaniensi *que* et *et* pariter occurrunt.

5. Gerundium et Gerundivum.

Ad has formas conectendas Caesar ponit quamvis copulam [6]), Hirtius semper *que*. Bellum Alexandrinum ostendit *et* bis [7]), *que* bis [8]), *ac* semel [9]).

6. *Atque* explicativum.

Ut *que* [10]) ita *atque (ac)* saepe addit aliquid, quod praecedentem notionem aut enuntiatum accuratius explicet vel describat. Volgaris est hic usus duravitque per om-

---

1) Membra infinitiva coniunguntur 15. 6 : 20. 2.
2) III. 93. 6.
3) A. 31. 5.
4) Hirtius adhibet *et* 14. 2 : *atque* 55. 1 : alibi *que*.
5) Numeri sunt *et* 2, *atque* (*ac*) 6, *que* 22.
6) Numeri sunt *et* 10, *atque* (*ac*) 9, *que* 10.
7) 14. 5 : 22. 2. 8) 30. 6 : 51. 3. 9) 42. 4. 10) v. p. 50.

nes litterarum Latinarum aetates[1]). Apud Caesarem semper fere pronomen demonstrativum excipit particulam. Exempla: *trabibus atque eis praeacutis*, I. 27. 4: *nares paratissimae atque omni genere armorum ornatissimae*, 3. 14. 2: *nostri milites facile superabant, atque eo magis quod*, cett. 3. 14. 8: sim. 5. 1. 2: Hirt. 10. 4: Af. 65. 1: 38. 1: *flumen uno loco pedibus atque hoc aegre transiri potest*, 5. 18. 1: sim. 5. 15. 4: I. 82. 3: II. 2. 2: III. 70. 1: Hirt. 7. 2: 20. 2.

7. *Atque* asseverativum.

Per *atque* gradatio ita efficitur ut idem fere particula significet quod *et sane, et certe*, quo ad graviora et maiora oratio ascendat. Non raro adverbia, velut *adeo, insuper, etiam, quidem*, alia sunt adiecta[2]). Exempla: *in unum atque angustum locum*, I. 50. 2: *spe consequendi inlata atque infinito labore suscepto*, 6. 43. 5: *imprudentibus nostris atque occupatis*, 5. 15. 3: *diripi Eburones atque ultro omnis ad praedam evocari*, 6. 35. 4: *levi facto equestri proelio atque secundo*, 7. 53. 2: *iura legesque reddiderat atque ipsi Morinos attribuerat*, 7. 76. 1: *sustinent illi atque arte sollertiaque se explicant*, A. 15. 6. Apud Caesarem quidem nullum inveni exemplum huius generis cum adverbio addito, sed in supplementis, *cum suis epibatis atque etiam hostium custodibus*, Af. 63. 3.

8. Per *atque (ac)* particulam transitio fit.

Multo saepius quam ceterae particulae copulativae *atque* in initio enuntiati positum facit transitionem ad novam sententiam vel orationis partem. Quam raro *et* ita

1) Cf. Draeger II. p. 50. Apud Plautum (Ballas I. p. 38); Varronem, Ciceronem (Merten p. 52); Tacitum (Spitta p. 39).

2) De hoc usu apud alios scriptores cf. Draeger II. p. 47, Ballas I. p. 31, Merten p. 45.

usurpetur iam demonstratum est[1]) Porro enuntiata, quae per *que* coniunguntur, id quod saepe fieri solet, semper fere nescio qua ratione inter se conectuntur et tantum modo priorem narrationem continuant. Dissimilis est causa particulae *atque*, quae sola harum vocularum libere adhibetur ad rem novam inducendam, ut nostra lingua reddatur, *but, now, but now, again, furthermore.* Cuius generis cum exempla apud omnes fere scriptores frequentissima sint, pauca[2]) subiungo. Mirabile dictu, nullum, nisi erravi, apud Hirtium exstat. *Atque in castris Curionis magnus omnium incessit timor,* cett. II. 29. 1: *Ac primo adventu exercitus nostri crebras ex oppido excursiones faciebant,* cett. 2. 30. 1: *Ac primo impetum nostrum Pharitae sustinuerunt,* A. 17. 4: *Atque hostes suis ex terrore firmatis,* cett. Af. 18. 2.

9. *Atque* valet *et tum, et statim, et ita.*

Potest *atque* inter ea enuntiata intercedere quorum altero causa prioris aut aliquid indicetur quod prius confestim sequatur. Tum copula sola potest enarrari tamquam *et ita, et tum, et statim,* sed saepe, praesertim apud Caesarem, eiusmodi adverbium adiungitur. Et is et alii scriptores[3]) multos locos praebent. Exempla: *Cum Caesar pacatam Galliam existimaret . . . atque ita inita hieme in Illyricum profectus esset,* 3. 7. 1: sim. 6. 27. 3 : 7. 8. 2 : I. 75. 3 : 79. 4 : II. 28. 4: Hirt. 11. 1 : 52. 5.

Inopinantes nostri re nova perturbabantur, ac vix primum impetum cohors in statione sustinet, 6. 37. 3: *Postquam Caesar ad iugum ascendit atque in unum-*

1) Cf. p. 20.

2) Apud Caesarem sunt viginti sex, in Bello Alexandrino quattuor, in Bello Africo sex.

3) Cf. Ballas I. 41; Hand I. 480 seqq.; Merten p. 56; Klammer p. 48; Spitta p. 41.

quemque collem castellaque facere coepit, cett. Af. 38. 1: *Cibo se abstinuit atque ita interiit,* Hirt. 44. 2.

10. Atque comparativum.

Hoc *atque* cum *et*[1]) commune habet, quod cum vi comparativa usurpatur et id multo saepius[2]). Qui usus apud omnes scriptores[3]) invenitur inde ab antiquissimis temporibus[4]). Neque hoc est mirum, quia res duae, quae comparantur, ex aliqua parte aequiperantur, itaque propriam sedem occupat *atque.* Etiam apud Caesarem et in supplementis hoc dicendi genus passim adhibetur, tamen in his parcius. Res similes comparantur verbis *aequus, idem, par, proinde, similis,* ita: *Aggerem aequa fere altitudine atque ille . . . fuerat agger,* II. 15. 2: *Gallorum eadem atque Belgarum oppugnatio est haec,* 2. 6. 2: sim. I. 24. 2: *quos in parem iuris libertatisque condicionem atque ipsi erant receperunt,* 1. 28. 5: sim. 5. 13. 2: III. 101. 3: *proinde aestimans ac si usus esset opera,* III. 1. 4: sim. III. 60. 5: III. 72. 4: *ut simili ratione atque ipse fecerit, suas iniurias persequantur,* 7. 38. 10: *Ne quod simile incommodum accideret decursione barbarorum ac superiore aestate Tergestinis acciderat,* Hirt. 24. 3. *Non oportere illum eodem uti vestitu atque ipse uteretur,* Af. 57. 5: *eiusdem generis ac saporis . . atque ante consuessent* A. 6. 2: *ab oppidanis ac si suarum partium essent,* Hirt. 13. 5.

Res dissimiles comparantur verbis *aliter, alius, contra, dissimilis,* ita: *ordo agminis aliter se habebat ac Belgae ad Nervios detulerant,* 2. 19. 1: *aliter ac superioribus annis,* 5. 24. 1: *longe aliam esse navigationem in*

---

1) v. p. 19.
2) Cf. Reisig III. p. 206; Draeger II. p. 56.
3) Cf. Merten p. 54 seqq.
4) Apud Plautum (Ballas I. p. 47).

concluso mari atque in . . Oceano, 3. 9. 7: *qui longe alia ratione ac reliqui Galli bellum gerere coeperunt*, 3. 28. 1: sim. 7. 14. 2 : 7. 33. 3 : 7. 59. 3 : III. 51. 4: *quod contra atque esset dictum*, cett. 4. 13. 5: sim. III. 12. 2: *Neque enim aliud ius esse Cappadociae atque Armeniae*, A. 35. 2: *Quod si alia esset litoris Aegyptii natura atque omnium reliquorum*, A. 8. 2: *etsi erat non dissimile atque Alexandriae genus aedificiorum*, A. 18. 1.

Propositum mihi erat initio una disserere de correlatione, polysyndetis, asyndetis, quo modo apud hos scriptores adhiberentur. Cum vero intellegerem parum temporis mihi esse relicum, hanc partem quaestionis in praesens omisi. Spero fore cum inceptum perficere possim.

VITA.

Natus sum Beniamin Leonardus D'Ooge, civis Civitatium Foederatarum Americae, in urbe Grand Rapids, quae appellatur, Rei Publicae Michiganensium, anno Domini MDCCCLX, die X mensis Ianuarii, patre Leonardo D'Ooge, matre Ioanna e gente Quintus. Elementis litterarum in ludo publico imbutus, per sex annos gymnasium urbis natalis frequentavi. Inde autumno anni MDCCCLXXVII maturitatis testimonio instructus ad Universitatem Rei Publicae Michiganensium me contuli ibique per quadriennium studiis philologicis physicisque me dedidi. Post id, satis spectatus atque usitato more a professoribus academicis temptatus, gradu in artibus baccalaureato ornatus sum. Cum confecissem hunc studiorum cursum velle me docere sum professus atque examine bene superato Latinam Graecamque linguas in gymnasio per triennium docui.

Interim gravioribus studiis philologicis numquam neglectis, anno MDCCCLXXXIV, post dissertationem philologicam scriptam, probationem ad Magistri gradum conferendum habitam bene superavi, eodemque anno hypodidascalus linguae Latinae sum apud Michiganensium Universitatem, almam studiorum matrem, constitutus. Dum his officiis fungor, imprimis in philologia Indo-Germanica cognoscenda otium consumpsi. Denique anno MDCCCLXXXVI Professor Linguarum Antiquarum sum electus apud Collegium Normale Rei Publicae Michiganensium, quem locum adhuc teneo.

Hisce annis nonnullos libros emisi qui inscribuntur:

Colloquia Latina, D. C. Heath & Co., Boston 1885.

Viri Romae, Ginn & Co., Boston 1895.

Easy Latin for Sight Reading, Ginn & Co., Boston 1897.

Caesar's Bellum Gallicum, with J. B. Greenough and M. G. Daniell, Ginn & Co., Boston 1898.

Second Year Latin, with J. B. Greenough and M. G. Daniell, Ginn & Co., Boston 1899.

Helps to the Study of Classical Mythology, George Wahr, Ann Arbor. 1899.

Atque duo alios etiam nunc typis curo exprimendos, dico "Select Orations of Cicero", et "Latin Composition". Multa praeterea breviora scripta opusculaque sub nomine meo volgata sunt in libellis eis qui statis temporibus e prelo prodeunt.

Abhinc fere duo annos, autumno anni MDCCCXCIX, famae celebritate praestantissimorum virorum Buecheleri et Loeschcki inductus, trans Oceanum iter feci atque adii hanc studiorum sedem. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt philologicis, epigraphicis Umbricisque Buechelerus, Archaeologicis Loeschckius; quibus viris optime de me meritis semper maximam gratiam habebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Oratio Belli Alexandrini est indicio Hirtium non fuisse auctorem.

2. Caes. B. G. 7. 35. 4. plerique codd. *captis quibusdam cohortibus*; velim legere *completis quibusdam cohortibus*.

3. Bell. Alex. 25. 2. ita legendum: *Itaque expeditis navigiis locis idoneis ad Canopum in statione dispositis insidiabantur nostris commeatibus*.

4. Errat Schmalzius (Lateinische Syntax § 163) dicens duos imperativos antiquissimis temporibus ἀσυνδέτως pro regula componi.

5. Verg. Aen. I. 198. Servius interpretatur. "Bene autem *socios* dixit, ut se eis exaequaret". Potius versus interpretandus ita: "O socii, et ita vos recte appello, quod non immemores sumus ante malorum, quibus ferendis maxime homines in intimam amicitiam perveniant".

6. Prop. IV. 3. 48. velim legere: *Astricto in glaciem frigore nectit aquas*.

7. Non recte praecipit Draegerus (Historische Syntax der Lateinischen Sprache II. p. 35) semper particulam *que* praepositionibus disyllabis quae in litteram *ā* desinant adiungi.

8. In Cat. IV. 6. puto Ciceronem ita scripsisse: *sive Silani sententiam sequi malueritis, facile me atque vos*

crudelitatis vituperatione apud populum Romanum exsolveritis, atque obtinebo eam multo leniorem fuisse.

9. Quint. Inst. Or. XI. 66, velim legere "*Tragoediam primum in lucem Aeschylus protulit. Sed longe clarius inlustraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides*". Codd. *Tragoedias.*